

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XXXIV. Continens Historiam De Initio Publicae Praedicationis Christi
In Synagogis Galilaeae: Et Quomodo In Patriam Nazaretham Venerit, Ac A
Civibus Suis Ejectus Sit, Luc. 4. v. 14.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

quod præmium inde tulerit. Capita verò concionum Baptistæ supra explicata sunt.

III. Caput est, quæ sint miracula primi anni. Multa autem miranda facta sunt in primo anno, ut: patefactio Trinitatis in baptismo: jejunium 40. dierum: ministerium angelorum in deserto: novit genus Simonis, & impositione nominis Petri prædicit de futuris: Nathanaëlem procul absens videt, & scrutatur cor ipsius: prædicit de cælo aperto & de angelis descendentibus & ascendentibus: solus & inermis unico fune tot vendentes ejicit: occulta peccata Samaritanæ mulierculæ indicat. Verè singularia & admiranda hæc sunt, sed propriè non vocantur signa. Primum verò signum in Cana Galilææ, mutatione aquæ in vinum edidit. Hierosolymis etiam multa signa fecit in festo, sicut Iohannes testatur c. 2. v. 23. v. 2. & 4. v. 25. sed qualia fuerint, descriptum non est. Postea cum usque ad finem anni in terra Judæa doceret, & discipulorum ministerio baptizaret, an signa ibi tum ediderit, & qualia fuerint, nihil planè annotatum est. Cum verò ex Judæa in Galilæam rediret, iterum in Galilæa signum in filio reguli edidit. Plura verò signa facta esse, quæ scripta non sunt, Iohannes ipse testatur c. 20. v. 31. Atque ita ex signis primi anni, tantum duo illa, quæ in Cana Galilææ facta sunt, expressè & in specie descripta sunt.

IV. Observandum est, quos converterit & habuerit sectatores primo anno. Iohan. 1. fit mentio quinque discipulorum, quos sibi adjunxit in Cana Galilææ & Capernaum, sine dubio multi primo miraculo moti sunt, ut crederent in ipsum.

De cognatis verò ipsius & de discipulis expressa fit mentio, Ioh. 2. v. 12. Hierosolymis multi crederunt in nomen ejus, videntes signa, quæ faciebat, Ioh. 2. v. 23. nec tantum ex iis, qui Hierosolymis habitabant, sed ex peregrinis etiam, ut ex Galilæis, Ioh. 4. v. 25. Nicodemus, qui primus fuit ex Phariseis, convertitur, Ioh. 3. v. 1. Et discipuli Baptistæ in sua querela dicunt: Iesus baptizat, & omnes veniunt ad ipsum, Io. 3. v. 26. Non exiguus igitur numerus fuit eorum, qui Ecclesiæ, quam Filius Dei suo ministerio colligebat, primo anno adjuncti sunt. Samaritanos etiam quosdam convertit. Et ex aulicis Herodis regulum discipulum sibi adjunxit cum tota familia.

V. Qui fuerint adversarii Christi primo anno, & quæ habuerit cum ipsis certamina. Epiphanius primum annum ministerii Christi vocat annum acceptabilem, quòd placidior fuerit ejus cursus, respectu reliquorum, nec strepitu adversariorum ita circumsonet sicut sequentes anni. Non tamen nullos habuit primo anno adversarios. Congressus enim est in deserto cum principe omnium adversariorum cum ipso diabolo. Hierosolymis deinde adversarios habuit, quos templo eiecerat, & Judæos, qui signum vocationis ab ipso quærebant. Huc etiam pertinent illi, quibus se nolebat credere, cum esset Hierosolymis, qui non manifesti erant adversarii, nec apertè aliquid contra ipsum machinabantur, sed amici videri volebant credentes in ipsum. Postremò verò, sub finem anni, Pharisei Hierosolymitani insidias ipsi cœperunt struere, propter quos tum ex Judæa discessit, Ioh. 4. v. 1.

CAPUT XXXIV.

CONTINENS HISTORIAM DE INITIO PUBLICÆ PRÆDICATIONIS CHRISTI IN SYNAGOGIS GALILÆÆ: ET QUOMODO IN PATRIAM NAZARETHAM VENERIT, AC A CIVIBUS SUIS EJECTUS SIT, LUC. 4. v. 14.

RATIO ORDINIS.

SUPRA ostendimus, quare initium secundi anni Ministerii Christi in exordio publicæ prædicationis ejus in synagogis Galilææ constituere visum sit. De ordine autem historiarum, in principio secundi hujus anni, scriptorum Ecclesiasticorum sententiæ variant. Quidam existimant, id, quod Luc. 4. v. 15. scriptum est, (*Et glorificabatur ab omnibus:*) idem esse cum eo, quod Iohannes dixit c. 4. v. 45. (*Cum venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilei.*) Atque ideò in Harmonia verba ista Iohannis & Lucæ conjungunt, & periodum illam, Luc. 4. v. 14. de reversione Christi in Galilæam, in Harmonia ponunt ante historiam sanati filii reguli. Sed circumstantiæ rectè consideratæ ostendunt diversitatem. Iohannes enim loquitur de Galilæis excipientibus Christum, in ipso, ut ita dicam, introitu Galilææ: & causam addit, (*Quia scilicet viderant signa, quæ Hierosolymis in festo fecerat.*) Lucas verò illam suam *δοξολογίαν* seu glorificationem dicit factam, cum jam publicè in syn-

agogis ipsorum Jesus doceret; & causam ejus glorificationis scribit Galilæos sumsisse ex illis, quæ in synagogis ipsorum tunc faciebat. Manifestum igitur est, illa verba Lucæ 4. commodissimè post filium reguli collocari. Ex illo enim miraculo fama exiit per universam regionem. Cumque mox postea in synagogis inciperet docere, glorificatus fuit ab omnibus. Ita periodus illa Luc. 4. v. 15. commodissimè subjungitur historiæ de sanato filio reguli.

Statim autem Lucas annectit historiam, quid in synagoga Nazarethana acciderit. Quæ sanè commodissima ratio ordinis est. Mox enim sequitur in Matthæo de relicta Nazareth: ejus causam Lucas prius describit. Atque ita postea Matthæus & Marcus descriptiones conjungunt.

Unicus autem scrupulus obstat videtur. Quia enim inter signa in Galilæa edita, illud in reguli filio factum secundum est, Joh. 4. vers. 54. Si ergò dicamus, Christum rectè & statim ex Cana venisse

venisse Nazareth, Luc. 4. v. 23. non poterit constare, quod ibi scriptum est: (*Quæcumque audivimus facta in Capernaum, fac & hic in patria tua.*) Cum in præcedentibus nullum adhuc miraculum in Capernaum factum legatur. Necessè igitur est, Christum, priusquam in patriam, Luc. 4. v. 16. rediret in Capernaum, signa quædam edidisse. Hic scrupulus adeò movit Augustinum, de Confess. Evangelii. 2. cap. 62. ut propterea hanc historiam, Luc. 4. v. 14. per integrum fermè annum transponat, & commisceat cum ea, quæ de Nazarethanis, Matth. 13. v. 54. descripta est. Ut verè dici possit, Luc. 4. v. 23. (*Quæcumque audivimus facta in Capernaum, &c.*) Epiphanius Hæresi 51. ideò miraculum de restituta manu arida, & de sanata socru Petri ponit ante hanc Nazarethanam historiam, Luc. 4. v. 14. Alii ea, quæ Matthæi 4. v. 13. usque ad finem in tota Galilæa facta scribuntur, præmittunt, & post illa demum subjungunt Nazarethanam hanc historiam, Luc. 4. v. 14. Ita enim existimant rectè dici, Luc. 4. v. 23. Quæcumque audivimus in Capernaum facta, &c. Et illi omnes id quod Matth. 4. v. 13. scriptum est, (Et relicta Nazareth) ita interpretantur, quod Jesus Cana exiens, cum in itinere illo versus Capernaum Nazaretham obviam haberet, illam tunc non sit ingressus, sed præterierit eam, & prius Capernaum profectus sit. Sed Matthæus verbo κατὰ κρησε offendit, se loqui de ea migratione, quando Jesus habitationem suam ex Nazareth transtulit Capernaum: Cujus commigrationis causa omnino, Luc. 4. 31. describitur.

Cum itaque hic ordo historiarum commodissimus sit, & optimè stuat: maximè verò, quia valde conveniens est, ut inter conciones, quæ in Galilæa à Christo habitæ descriptæ sunt, primum locum obtineat doctrina de vocatione ipsius, Luc. 4. v. 18. diu multumque cogitavi, quomodo hic ordo historiarum servari, & simul salvari posset illud: (*Ecce audivimus facta in Capernaum,*) Luc. 4. v. 23. Et primum hoc vidi, miraculum illud, Joh. 4. v. 46. rectè dici factum in Capernaum. Licet enim Christus in Cana tunc fuerit, editum tamen fuit signum illud in filio reguli decumbente in Capernaum. Sed hoc nondum satis est. Non enim de uno signo, sed de pluribus loquitur sententia illa Luc. 4. v. 23. (*Quæcumque, &c.*) Nec dici potest, tunc, cum Joh. 2. v. 12. Jesus ex Cana descenderet Capernaum, quædam signa ibi facta: aliàs enim reguli signum non posset inter ea, quæ in Galilæa facta sunt, secundum esse, Joh. 4. v. 54. Nec sensus esse potest, quia Joh. 2. v. 12. Jesus cum discipulis suis descendens in Capernaum sine dubio privatim tunc ibi docuit, quod Nazarethani & de signo in reguli filio Capernaum decum-

bente, Joh. 4. v. 46. edito, & de iis, quæ ibi antea Joh. 2. v. 12. docuerat, loquantur, cum dicant: (*Quæcumque audivimus facta in Capernaum, &c.*) De signis enim historia illa manifestè loquitur, & non de iis quæ privatim, sed quæ publicè facta sunt. Dicunt enim, (*quæ audivimus, &c.*)

Tandem igitur circumstantiis in descriptione Lucæ diligenter consideratis, vidi non necesse esse, historias ita ordinare, quasi Christus post sanatum filium reguli, statim & rectè ex Cana Nazaretham venerit. Lucas enim disertè dicit: Jesum, priusquam veniret Nazaretham, docuisse in synagoga Galilææ. Sed in quibus Galilææ locis id factum fuerit, Lucas non explicat. Et Matthæus ea, quæ post relictam Nazaretham facta sunt, describit cap. 4. v. 13. Christus ipse verò, cum post hæc venisset Nazaretham, Luc. 4. v. 23. expressè nominat Capernaum. Et sicut Joh. 2. v. 18. non dicit expressè quod in festo Paschatis Jesus Hierosolymis signum aliquod ediderit, imò cum Judæi signum flagitarent, dicit, Jesum hoc recusasse. Postea verò alia occasione, Joh. 3. v. 2. Nicodemus, & Joh. 4. v. 45. Galilæiarrant, Jesum in festo illo multa & magna edidisse. Ita cum Lucas dicat, Jesum tantum docuisse in synagoga Galilææ: ipse autem Jesus postea in synagoga Nazarethana, Luc. 4. v. 23. affirmet, se in Capernaum simul etiam multa & magna signa fecisse, priusquam veniret Nazareth. Ideò rectè inde colligitur, quod Lucas dicit: (*Glorificabatur ab omnibus, & fama in universam regionem exiit de ipso,*) & de doctrina, & de miraculis antè adventum ipsius ad Nazarethanos intelligendum esse: quod in descriptione primæ periodi Lucas ideò milit, quia mox in persona CHRISTI illud narraturus erat: (*Omninò dicetis mihi, quæcumque audivimus facta in Capernaum, &c.*)

Atque hoc modo plana sunt omnia, & ordo historiarum ita commodissimè coheret etiam in sequentibus.

Quod verò ad coagmentationem Harmoniæ attinet, verba illa Marci: (*Post traditum Johannem venit Jesus in Galilæam.*) & Lucæ verba: (*Reversus est virtute Spiritus in Galilæam, &c.*) potuissent inseri vel in principio 4. v. 3. cap. Joh. vel in illo loco Joh. 4. v. 43. ubi Evangelista dicit: (*Exiit inde & abiit in Galilæam.*) Quod ab aliis rectè factum est. Sed ne historiae in principio secundi anni ministerii Christi, quasi ex abrupto incoarentur, volui verba illa integra hoc loco adscribere. Ut tamen intelligatur, quomodo reversus venerit in Galilæam, Joh. 4. v. 43. exponi: Matthæum verò, Marcum & Lucam describere, quomodo in Galilæam reversus publicam prædicationem in synagoga incoarit.

HISTORIA DE INITIO PUBLICÆ PRÆDICATIONIS CHRISTI IN SYNAGOGIS GALILÆÆ. ET QUOMODO CUM IN NAZARETHAM PATRIAM VENISSET, AC IN SYNAGOGA IBI DOCUISSET, A CIVIBUS EJECTUS FUERIT, Marc. i. Luc. 4.

b Μετε ἢ τὸ ἀναδοθεῖν τὸ ἰσάνην.

14. c καὶ ὑπέστρεψεν ὁ ἰησοῦς ἐν τῇ πατρίᾳ αὐτοῦ καὶ ἐδίδασκεν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτοῦ, καὶ ἠλάλησεν ἐν τῇ γαλιλαίᾳ, καὶ ἠκούσαν τὸ εὐαγγέλιον τὸ βασιλείας τοῦ θεοῦ, καὶ φήμη ἐξῆλθε κατὰ ὅλης τῆς περιχώρου αὐτοῦ.

b Postquam autem comprehensus esset Johannes.

14. c Reversus est Jesus cum virtute Spiritus b & venit in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei: c & fama exiit per universam regionem ab illo.

15. Καὶ αὐτὸς ἐδίδασκεν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, δοξάζομεν ὅτι ὑπὸ πάντων.
16. Καὶ ἦλθεν εἰς τὴν Ναζαρεθ, ἃ ἦν τετραμηνίον· καὶ εἰσῆλθε κατὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, εἰς τὴν συναγωγὴν καὶ ἀνέστη ἀναγνῶναι.
17. Καὶ ἐπέδωκε αὐτῷ βιβλίον Ἡσαΐα τῆς Φροφήτης· καὶ ἀναψύξας τὸ βιβλίον, εὗρε τὸν τόπον, ἃ ἦν γεγραμμένον·
18. Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμὲ, ἃ ἔνεκεν ἔχρισέ με· εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς ἀπέσταλλέ με, ἵασασθαι τὰς συντετριμμένας τῆν καρδίαν, κηρῶσαι αἰχμαλωτοῖς ἀφρονίαν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, ἀποστῆλαι τετραμηνίους ἐν ἀφροσύνῃ.
19. Κηρῶσαι ἐναντὶον Κυρίου δεκτόν.
20. Καὶ πρῆξας τὸ βιβλίον ἔδοξεν τῷ ὑπηρέτῃ, ἐκάλεισεν ἃ πάντων ἐν τῇ συναγωγῇ οἱ ὀφθαλμοὶ ἦσαν ἀτενίσσοντες αὐτόν.
21. Ἦρξατο δὲ λέγειν πρὸς αὐτὸς· Ὅτι σήμερον πεπληρώται ἡ γραφή αὐτῆ ἐν τοῖς ἀσιν ὑμῶν.
22. Καὶ πάντες ἐμαρτύρουσιν αὐτῷ, ἃ ἐθαύμαζον ὅτι τοῖς λόγοις τῆς χάριτος, τοῖς ἐκπορευομένοις ἐκ τῆς σοφίας αὐτοῦ, καὶ ἐλεγον· Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς Ἰωσήφ;
23. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸς· Πάντως ἐρεῖτέ μοι τί τὸ θαυμάσιον ταύτην· ἰατροῦ, θεραπεύσον σεαυτόν, ὅσα ἠκούσαμεν γινόμενα ἐν τῇ Καισαρείᾳ, ποιήσον καὶ ἡδε ἐν τῇ πατρίδι σου.
24. Εἶπεν δὲ Ἀμὴν, λέγων ὑμῖν, ὅτι ἕδεις προσφῆτης δεκτός ἐστιν ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ.
25. Ἐπὶ ἀληθείας ἢ λέγω ὑμῖν, πολλοὶ χήραι ἦσαν ἐν ταῖς ἡμέραις Ἠλίας ἐν τῷ Ἰσραὴλ, ὅτε ἐκλεισθῆ ὁ ἔρανος ἐπὶ εἴη τρία, καὶ μῆνας ἕξ, ὡς ἐγγύετο λιμός μέγας ἐπὶ πάντα τὴν γῆν.
26. Καὶ πρὸς ἕδερμιαν αὐτῶν ἐπέμψθη Ἠλίας, εἰ μὴ εἰς Σαρεπτα τῆς Σιδωνίας, πρὸς γυναῖκα χήραν.
27. Καὶ πολλοὶ λεπροὶ ἦσαν ἐν τῷ Ἰσραὴλ· καὶ ἕδεις αὐτῶν ἐκαθαρίσθη, εἰ μὴ Νεεμαν ὁ Συρ.
28. Καὶ ἐπληρώθησαν πάντες θυμῷ ἐν τῇ συναγωγῇ, ἀκούοντες ταῦτα.
29. Καὶ ἀναστάντες ἐξέβαλον αὐτὸν ἐξω τῆς πόλεως· καὶ ἤγαγον αὐτὸν εἰς τῆς ὄρους ἕως ὅρας ἕφ', ἃ ἡ πόλις αὐτῶν ἠκοδομήθη, εἰς τὸ κατακρημνίσαι αὐτόν.
30. Αὐτὸς ἢ διελθὼν διὰ μέσων αὐτῶν ἐπορεύετο.
15. Et ipse docebat in synagogis eorum, & glorificabatur ab omnibus.
16. Et venit in Nazareth, ubi erat nutritus: & intravit secundum consuetudinem suam, die Sabbatorum, in synagoga: & surrexit, ut legeret.
17. Et traditus est illi liber Esaiæ Propheta: & ut explicuit librum, invenit locum, ubi scriptum erat:
18. Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me: ad evangelizandum pauperibus misit me, ut sanem contritos corde, ut prædicem captivis dimissionem, & cæcis visum, ut contractos emittam per remissionem.
19. Ut prædicem annum Domini acceptum.
20. Et complicato libro reddens ministro, sedit; & omnium in synagoga oculi erant defixi in eum.
21. Cæpit autem dicere ad eos: Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.
22. Et omnes testimonium illi dabant, & admirabantur super gratia sermonum, qui procedebant ex ore ipsius, dicebantque: Nonne hic est filius Joseph?
23. Et ait ad eos: Omnino dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura te ipsum: Quæcunque audivimus facta in Capernaum, fac & hic in patria tua.
24. Ait autem: Amen, dico vobis, quod nemo Propheta acceptus est in patria sua.
25. Sed in veritate dico vobis, multe vidue erant in diebus Elie in Israël, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset fames magna per omnem terram:
26. Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sareptha Sidonis, ad mulierem viduam.
27. Et multi leprosi erant in Israël sub Eliseo Propheta: & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.
28. Et repleti sunt omnes in synagoga ira audientes hæc.
29. Et insurrexerunt, eiecēruntque eum de civitate: & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat edificata, ut præcipitarent eum.
30. Ipse autem transiens per medium ipsorum ibat.

Periocha hujus Historia.

LUCAS statim post consummatas tentationes Christi in deserto subjungit: (Et reversus est Jesus in Galileam.) Johannes verò cap. i. v. 29. scribit, Jesum ex deserto primum in Peræam ad Jordanem, ubi Johannes baptizabat, rediisse. Et tunc quidem post aliquot dies abiit in Galileam, Johan. i. v. 43. Sed Lucas ostendit, se de illo reditu Christi in Galileam loqui, quando cœpit publice in synagogis Galilææ docere: quod Marcus dicit, factum esse post traditum & comprehensum Baptistam. Ideò Luca & Marci verba conjunxi.

Dicit igitur Lucas, Jesum tunc (in virtute Spiritus) reversum in Galileam. Quod ex antithesi simplicissime intelligi potest; quod scilicet non tali plebeja & obscura humilitate, sicut, cum antea usque

ad ætatis an. 30. privatam in Galileam vitam viveret; nec sicut primo anno, cum à Baptista in Galileam reverteretur, ac edito in nuptiis unico miraculo statim discederet: Sed quod jam in Galileam redierit ἐν δυνάμει Spiritus, accepta manifesta & publica ostensione in doctrina & miraculis, non physicæ alicujus facultatis, tanquam ψιδος homo, sed divinæ potentia ejus Spiritus, quo adhibito visibili columbæ descendens symbolo in Baptismo cœlitus unctus fuerat, majora scilicet, plura & illustriora, quàm hæctenus in Galilæa fecerat, Spiritus seu divinæ suæ potentia documenta manifestè & publicè ostendens. Cumque in synagogis Galilææ publicè cum tali auctoritate, sicut postea Evangelistæ scribunt, doceret, & mira-

& miracula egeret, (signa enim jam tum doctrinæ ipsius adjuncta fuisse, Christus ipse in synagoga Nazarethana testatur,) duo secuta fuisse, Lucas ostendit: (1. *δοξαζουσιν* ab omnibus:) hoc est, Galilæi & alii, propter doctrinam & miracula, cœperunt præclare, honorificè seu gloriosè de ipso sentire & loqui, magnam ipsi auctoritatem tribuere, ac cum reverentia in singulari honore ipsum habere. Hæc enim omnia vocabulum *δοξαζουσιν* complectitur. (2. *Fama exiit per universam regionem de illo:*) Jesum scilicet Nazarenum, qui apud Iordanem Messias renunciatus esset, quique Hierosolymis in festo & in Judæa stupenda signa edidisset, jam in Galilæam rediisse, atque ibi publicè in synagoga doctrinam & miraculis virtutem & efficaciam divini Spiritus palam ostendere. Inde enim & ea ratione factum est, quod in synagoga publicè docendi locus ipsi concessus & tributus fuit, quod turbæ undique ad audiendum ipsum concurrerunt. Hæc clausula apud Lucam posset accipi, tanquam generalis propositio, quod in synagoga Galilææ Jesus docuerit. Cujus explicatio mox subjungatur, in quibus synagoga, & quomodo docuerit, transeundo scilicet ex Cana in Nazareth, inde in Capernaum, &c. Sed quia Jesus ipse in Synagoga Nazarethana dicit, se in Capernaum signa fecisse, priusquam veniret Nazareth: ita ergo explicanda sunt illa verba Lucæ, quod ex Cana Jesus digressus sit in alias partes Galilææ, ac in synagoga quibusdam docuerit, ac miracula fecerit, præcipuè in Capernaum, priusquam Nazaretham accesserit.

Dicit igitur Lucas, Jesum, post peragratas aliquot Galilææ synagoga, venisse Nazareth, à Ptolomaide maritima septem millibus passuum Orientem seu Iordanem versus, ita ut à monte Thabor, duobus millibus distet Occasum versus, & duobus millibus à Nain Septentrionem versus: à Cana verò Galilææ tribus millibus Orientem versus: à Capernaum verò sex millibus. Situs ejus est in confinio tribus Zabulon & Nephthalin: unde quidam tribui Zabulon, quidam Nephthalin eam attribuunt. Hieronymus scribit, obscurum jam vicum ab incolis vocari Nazarsa. Cum autem publicam prædicationem in synagoga Galilææ Jesus inchoare vellet, non primum apud Nazareos incepit, ubi propter familiarem pristinæ humilitatis conversationem ad docendum vix admissus fuisset. Sed cum jam in Galilææ synagoga aliis magnam sibi auctoritatem, sicut Lucas scribit, comparasset, tum venit Nazareth. Ita occasiones & commoditates ad lucrificandos cives suos captavit, ut essent inexcusabiles.

Quia igitur in civitate Nazareth (*educatus*) fuerat, usque ad tricesimum annum, ut pro nutritione beneficium spirituale, cœlestè & æternum rependeret, peragratis aliquot aliis Galilææ synagoga eò profectus est. Addit autem Lucas rationem, quare Nazareth patria Christi appellata fuerit; scilicet, non quod ibi natus fuerit, sed quod ipsi locum ad nutritionem & educationem præbuerat. Et parem deberi gratiam loco educationis & nativitatis, hæc descriptio ostendit. Nec otiosa est illa annotatio Lucæ. Messias

enim non in Nazareth Galilææ, sed in Bethlechem Iudæa nasci debebat, sicut quæstio illa agitatur Iohan. 7. v. 52.

(*Die Sabbati autem intravit synagoga, secundum consuetudinem suam.*) Quod dupliciter intelligi potest: vel quod solitus fuerit, cum privatus in Nazareth usque ad tricesimum annum viveret, diligenter synagoga diebus Sabbati visitare; vel quod tempore ministerii hanc consuetudinem servavit, quod diebus Sabbati synagoga docendi gratiâ plerunquè ingressus sit. Ibi enim major frequentia populi conveniebat, & vestigia politiæ Ecclesiasticæ divinitus olim ad edificationem instituta, quæ adhuc reliqua erant, libenter servavit, ut suo exemplo ostenderet, propter quæ exercitia Sabbatum principaliter institutum sit, & quæ sit vera ejus sanctificationis ratio. Hæc sententia receptior est. Nam & Iohan. 18. vers. 20. cum suspitione seditionis gravaretur, hanc apologiam opponit, se in publicis illis locis, quæ Ecclesiasticis conventibus destinata erant, ut in templis & synagoga, publicè docuisse.

Observandum autem est in hæc descriptione, quæ fuerit consuetudo veteris synagoga, in exercitiis doctrinæ diebus Sabbati. Non enim undecunquè nec quomodocunquè doctrinam in publicis illis conventibus proponebatur, sed 1. unus locus aliquis ex Scriptura prælegebatur, sive ex Mose, Actor. 15. v. 21. sive ex Prophetis, ut in hæc historia: & Actor. 13. v. 15. utrumquè conjungitur post lectionem Legis & Prophetarum. Et verisimile est, sicut nunc in synagoga lectio librorum Mosis per Sabbata totius anni in certas *ἑβδομάδας* distributa est: talem distributionem tunc etiam Prophetarum fuisse. Et hoc scribunt, factum esse tunc, quando lectio Legis ab Antiocho interdicta fuit. Ita cum Jesus surgeret legere, datus ipsi est à ministro liber Esaiæ. 2. Post lectionem Scripturæ secuta est explicatio, quæ accommodata fuit ad doctrinam & exhortationem, Luc. 4. v. 21. Actor. 13. v. 16. Argumentum enim & fundamentum sive doctrinæ sive exhortationis ex Scriptura fumebant. 3. Hoc officium præcipuè erat Scribarum, sicut ex Esdra colligitur. Et Luc. 10. v. 26. Christus inquit: Quomodo scriptum est, quomodo legis? Liberum tamen erat & reliquis qui donum docendi habebant, & legere & exhortari, certò tamen ordine, sicut manifestum est in hac historia, & Actor. 13. v. 15. Item, 1. Cor. 14. v. 24. Ex collatione enim horum locorum ordo consuetudinis illius colligi potest. Et inde Iudæi nunc etiam in suis synagoga has habent reliquias; quod, quando profertur Thora, non præcentor tantum, sed & alii certo ordine ad locum editorem lectioni destinatum, quem Memorah vocant, accedunt & legunt. 4. Est & hæc veteris synagoga consuetudo, quam ipsum Christum servasse videmus, notanda, quod legentes seu recitantes textum (sicut nunc loquimur) Scripturæ assurgunt & stant, quod indicium est reverentiæ erga Scripturæ auctoritatem, in reliqua verò explicatione confident. Sed hoc quia adiaphoron est, idè Actor. 13. v. 15. Paulus stans concionem in synagoga habet, sicut & 1. Corinth.

Corinth. 14. vers. 30. docentes stant, reliqui sedent.

Multa autem tota hæc consuetudo monet, Doctrinam scilicet in publicis Ecclesiæ conventibus, non esse undecunque sumendam: sed ex Verbo Dei, quod in Scriptura traditum est, esse petendam, extruendam, probandam & confirmandam. Ideo enim lectio certi loci ex Scriptura concioni præmissa fuit. Et publico illo ritu assurgendi & confidendi, monstratum fuit discrimen inter Scripturam & reliquas explicationes. Solius siquidem Scripturæ auctoritati ita esse assurgendum, ut de ea dubitare vel inquirere non liceat, reliquas vero explicationes ad Scripturam esse exigendas, & prout illi vel consentiunt, vel repugnant, esse acceptandas vel repurgandas, & hoc in Synagogis ita servatum fuisse, exemplum Berroënsum, Act. 17. v. 11. ostendit. Hæc obiter, quia multa monere possunt, annotare volui.

Cum igitur Nazaræi Jesum de cujus Ministerii actis, fama jam pridem ad ipsos pervenerat, viderent in sua Synagoga esse, & quidem assurgendo significare, se velle aliquid legere, erectis omnium animis in expectationem, minister statim ipsi dedit libellum Jesaiæ Prophetæ. Singula enim scripta verbi divini vocantur βιβλία & βιβλία, Luc. 3. v. 4. 17. & 20. v. 42. Ebr. 9. v. 19. Johan. 20. v. 30. & 21. v. 25. Et inde venit usitata appellatio Bibliorum.

(Datus autem ipsi est liber Jesaiæ Prophetæ,) sive ordo publicarum Synagogæ lectionum illo Sabbatho hoc postulaverit, ut abitor: sive ex illo Propheta, qui de Messia & plurima & clarissima habet testimonia, aliquid ab ipso legi voluerint. Vocabula autem βιβλία & ἀνομήσιον (complicare & explicare librum:) alludunt ad formam librorum, quæ tunc temporis usitata erat, cujus vestigia adhuc in Synagogis Judæorum videre licet; ubi liber Legis duabus rotulis utriusque extremitati annexis ita circumvolvitur, ut lecturis evolvendus & explicandus sit. Et Græci interpretes verbum illud usurpant de Ezechia expandente literas Rablacis, 4. Reg. 19. v. 14. Et obiter observetur, quod liber clausus traditur Christo, qui eum aperit & legit. Is enim aperit nobis intellectum, ut intelligere possimus Scripturam, Luc. 24. v. 25. Cujus mytheria de solius Christi persona & officio rectissime intelliguntur. Ac convenit hoc cum eo, quod Apoc. 3. 9. scriptum est de libro clauso, quem nemo aperire potuit, nisi solus agnus Dei. Sed illum librum clausum rursus tradit Judæis. Velamen enim oculis ipsorum in lectione Scripturæ Judæis impositum, quod in solo Christo tollitur, 2. Cor. 3. v. 13.

Explicans autem librum εὗρε (Invenit locum Jesaiæ,) sive divinitus statim, cum librum explicaret, in locum illum incidit, sive quæserit & delegerit locum ad id, quod dicturus erat, maxime commodum. Verbum enim εὗρε utrumque significat; ut Matth. 27. v. 32. Invenit Simonem Cyrenæum, casu scilicet transeuntem, Marc. 13. v. 36. Ne ex improvise veniens inveniatur dormientes. Ro. 10. v. 20. Inventus non sum quærentibus, Sapè verò jungitur cum verbo Quærere, Matth. 7. v. 8. Qui quærit, invenit. Marc. 14. vers. 55. Quærebant saltem testimonium & non invenie-

Harm. Tom. 1.

bant, &c. Si verò ordinaria lectio illius Sabbathi fuit locus ille Jesaiæ, singulare consilium Dei conspicitur. Sed illa sententia planior est, quod Christus consultò locum illum delegerit, ut occasionem haberet de vocatione sua docendi. Nazaræis enim fama de ministerio Christi, quia secundus jam annus agebatur, non erat ignota; sed quia spectatores fuerant educationis ipsius, quod scilicet literas non didicisset, Johan. 7. v. 15. sed fabriliter tractasset, Mar. 6. v. 3. vocationem seu missionem ipsius, ad hoc ministerium, quam apud reliquos miraculis comprobabat, ipsi omnino in dubium & suspicionem vocabant. Ideo locum illum Jesaiæ, in quo vocatio seu missio, & totius ministerii sui ratio clarissime describitur, legit, & complicato libro sedens cœpit locum illum de sua persona, de ministerio suo docendi, & de officio redemptionis interpretari.

Summam autem illius interpretationis Lucas hanc fuisse dicit: quod auditoribus Nazaræis confirmavit & demonstravit, hæc apud Esaiam de sua persona ministerio & officio prædicta esse, & in nullo alio, quam in se impleri. Atque ita ostendit, hanc se omnino habere vocationem & missionem, quæ ibi describatur, tale esse suum ministerium & officium, sicut locus ille Esaiæ explicet. Quod enim dicit, (Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris,) phrasus est significans: Audientibus vobis, vel, sicut audivistis me legentem & explicantem, ut sensus sit: Non est, quod quæratur, de quo prophetia illa intelligenda sit: Quem enim hodie audivistis legentem & explicantem, id est, de quo & in cujus persona prophetia hæc loquitur. Et cœperat quidem illa impleri in baptismo, & in principio prædicationis, sed apud Nazaræos tunc completa fuit, quando audiverunt ipsum Evangelizantem. Ideo dicit, Hodie in auribus vestris impleta est. Syrus simpliciter ita reddit: Scriptura hæc, quæ est in auribus vestris, quam audivistis, impleta est hodie. Hæc verò in civibus Nazaræorum ita probavit, ut auditores suo consensu & testimonio interpretationem illam approbarent. Hæc enim est sententia horum verborum: (Hodie Scriptura hæc impleta est in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant.) Et sine dubio, explicatio, qua ostendit discrimen inter suam personam, vocationem & officium, & omnium aliorum doctorum, suavissima & dulcissima fuit concio, movens, afficiens & penetrans animos. Lucas enim dicit, omnes ab ore ipsius suspensos, admiratos fuisse, (super verbis gratiæ, quæ de ore ipsius procedebant.) Nam & hoc prædictam fuit, Jel. 50. v. 4. Dominus dedit mihi linguam eruditam. Et Psalm. 45. v. 3. Diffusa est gratia in labiis tuis. Observetur autem ex illis concionibus, quas in Galilæa habitas Evangelistæ descriperunt, primam esse de vocatione seu missione. Hoc enim fundamentum est totius Ministerii: sicut Paulus in suis Epistolis semper præponit vocationem suam ad Apostolatam. Atque Hierosolymis in prima concione quærunt de vocatione ejus, Joan. 2. v. 18. Et hoc loco initium concionis facit ab unctio- ne, quæ duo complectitur: primò vocationem, secundò, dona Spiritus ad ministerium necessaria. Quia verò Lucas brevissime tantum capita annotavit, seu quæ fuerit summa concionis: utile est,

B b

capi-

capita illa ex verbis Eſaiæ mediocri diligentia colligere & expendere. Non enim dubium eſt, ipſum in aliis etiam Synagogis de miſſione ſua ſæpius concionatum, quarum concionum argumentum & ſumma hoc loco deſcribitur.

Quantum igitur primò ad perſonam ſuam attingit, dicit, ſe unctum eſſe non ab homine, ſed ab Jehova: non oleo externo ſeu corporali, quo vel Sacerdotes, vel Reges, vel Prophetæ ungebantur: ſed Spiritu Domini, Act. 10. v. 38. non ad menſuram, ſed tota plenitudine. Atque ſignificat ita, ſe eſſe Meſſiam. Apud Eſaiam enim eſt verbum *משח*, unde Meſſias appellationem habet. Et ſine dubio differentiam unctionum oſtendit ex Pſal. 45. v. 8. O Deus, Deus tuus unxit te præ confortibus tuis.

Secundò, miſſionis ſeu vocationis ſuæ teſtimonium, non oleum, ſed Spiritum Jehovah allegat: & mentione unctionis oſtendit, ſe ad publicum munus promiſſi Meſſiæ vocatum eſſe. Et hoc ſine dubio comprobavit per deſcenſum Spiritus, & vocem paternam in Baptiſmo factam. Tali enim ſolemnitate nullus Prophetarum unquam miſſus fuit. Et hæc de vocatione ſeu miſſione ſua Chriſtus non ambitionis gratiâ tractavit, & de ſe interpretatus eſt: ſed multum per omnem modum refert tenere, Chriſtum ea, quæ in miniſterio & in officio Mediatoris agit, non privato arbitrio aut humano conſilio ſuſcipere, ſed Patre mittente & Spiritu efficacia ſua præſente. Ut ſciamus, ea, quæ Mediator Chriſtus agit, ex decreto Trinitatis fieri, & rata haberi à Patre & Spiritu ſancto. Conſideranda eſt autem phraſis: (*Spiritus Domini: èπ' èμè.*) Diximus enim in hiſtoria Simeonis, hanc phraſin uſurpari de donatione, afflatu & impulſu Spiritus prophetiæ. Et conjungit hæc duo: (*Spiritus Domini ſuper me, èd quòd unxit me Jehovah:*) ut Ebræa ſonant. Sicut enim unctio externa efficaciam ſuam in corpore exerit, ut odorem etiam alii ſentiant: ita hoc loco ſignificare voluit, Spiritum in ſua vocatione ſeu miſſione non eſſe ocioſum, ſed efficaciam & virtutem ſuam exerere, & aliis etiam oſtendere. Ex unctioe igitur, (*èd quòd unxit me,*) vel ex baptiſmo, vel ex effectu probat, Spiritum Domini eſſe ſuper ſe. Videtur autem obſcurior eſſe ſententia, ſive ſecundùm Ebræa legatur, (*Eo quòd unxit me,*) ſive cum Græcis legamus: (*Propter quòd unxit me.*) Sed ſententia plana erit, ſi adhibeatur diſtinctio illa, quam Ebraici accentus monſtrant: ita ſcilicet: (*Dominus ſuper me, propter quòd*) ſeu *è èvena* propter hoc (*unxit,*) id eſt, conſecravit (*me, ad Evangelizandum pauperibus.*) (Hæc enim conjugenda ſunt, & poſt hæc ponenda diſtinctio, ac ſubjungendum,) (*Miſit me ſanare contritos corde:*) quam diſtinctionem etiam Syrus ſequitur, addita conjunctione: Et miſit me ſanare. Hæc Ebraica diſtinctio totam ſententiam illuſtrat. Porrò quòd in medio ſententiæ dicitur: (*Emittere conſtractos in remiſſionem,*) non ſunt verba à Luca addita, ſed ſumta ex Eſaiæ. 58. v. 6. Unde apparet, Chriſtum duos hos Eſaiæ locos legiſſe. Sed pergamus in annotandis capitibus concionis.

Tertiò igitur Miniſterium docendi, ad quod miſſus eſt Chriſtus, valdè luculenter in hac Prophetæ ſententia explicatur, complectens prædi-

cationem & pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum. Dicit enim, ſe miſſum eſſe, (*ad prædicandum cæcis àνδραπρωτων.*) Non ergò ea, quæ rationi nota ſunt, docebit, ſed myſteria ſupra & extra omnem rationis conſpectum poſita, in quibus natura peccato depravata planè cæca eſt. Capita autem illius patefactionis hæc ponit. Omnes homines ſua natura extra Chriſtum eſſe contritos, captivos, conſtractos, pauperes. Et natura quidem humana illis miſeriis oppreſſa, non tantùm in iis jacet, ſed & cæca eſt, & vel ſecuritate, vel phariſaica præſumptione ſibi blanditur, ut ſummas illas miſerias non verè agnoſcat, ideò tam multis ac variis vocabulis miſeria noſtra deſcribitur. Chriſtus igitur ita prædicat pœnitentiã, oſtendens naturam humanam eſſe conſtractam, hoc eſt, triſtiſſima peccati corruptione miſerabiliter depravatam, & onere Legis oppreſſam, propter quam corruptionem ſit captiva, hoc eſt, in poteſtate tenebrarum ſeu regno diaboli, & ſit contrita, hoc eſt, ſub ira Dei, & in iudicio Dei, æterna damnatione conterenda: & præterea ſit egena, quæ contra has miſeras nullum in ſe remedium reperire poteſt. Ita multis vocabulis corruptio & miſeria humanæ naturæ deſcribitur, & ſingula magnam habent emphafi, quæ rectè conſiderata oſtendunt, quomodo prædicanda ſit pœnitentia: ut ſcilicet agnitio peccati monſtretur: & privativè, cæcis ſcilicet & pauperibus: & poſitivè, ut ita loquar, conſtractis ſcilicet & vulneratis, qui egent ſanatione. Nec tantùm nuda recitatione peccata in prædicatione pœnitentiæ ſunt proponenda, ſed addenda doctrina, de ſtipendio peccati: Naturam ſcilicet propter peccatum eſſe captivam Satanæ, & iudicio Dei conterendam, nec habere ex ſe, quòd ad liberationem opponat. Et ex illa agnitione ſequi debet talis ſentus peccati & iræ Dei, qui vocatur contritio cordis. Atque ita oſtendit Chriſtus, qui ſint, quos ad ſe invitet, non ſuperbi & ſecuri, ſed contriti: Et quomodo auditores ſuos idoneos & capaces reddat, ad recipiendam Evangelii gratiam, faciens ſcilicet eos ex ſenſu miſeriarum eſurientes & ſitientes juſtitiam. Et hæc eſt pœnitentia quam Filius Dei in ſuo miniſterio prædicavit, cujus deſcriptio in hac Prophetæ ſententia diligenter notanda eſt. Verbum *σπαινεσθαι*, quòd communiter ſignificat frangere, collidere, Græci interpretes variè uſurpant, Exod. 15. v. 6. pro violenta oppreſſione: Num. 16. v. 49. pro ſtrage: Deut. 20. v. 3. pro formidare: 1. Reg. 20. v. 34. pro contriſtari: Pſal. 105. v. 30. pro interruptione. Ex illis locis colligi poteſt, quæ ſignificatio huic loco propriè conveniat. Ebraicus textus Eſai. 58. v. 6. habet verbum *אצצו לרצוצים*, quòd ſignificat collisionem, conquaſſationem: ut quando arundo conquaſſatur, Eſai. 42. v. 3. Hoc Græci reddiderunt *τετρασμένους*. Aliud verò verbum, quòd Græce redditum eſt *συντετραμμένους*. In Ebraico, Eſai. 61. v. 1. eſt *שבו*, quòd conſtringere & conterere ſignificat. Et in Ebraico textu Eſai. 61. v. 1. diſtincta ſunt vocabula captivorum & victorum. Nam *שבו*, Schabah, captivus eſt, qui ex ſua patria abducitur in exilium, *אסר* verò, qui in carcere vincitur & ligatus eſt propter certam quandam juris obligationem. Et hæc differentia ſignificationum ad doctrinam de pœnitentiã, quæ prima pars eſt miniſterii Chriſti, pulcherrimè poteſt accommodari.

Altera

Altera verò & præcipua pars ministerii Christi, Doctrina scilicet gratiæ, quæ Evangelii propria est, verbis, planè exquisitis, in hac Esaiæ sententia describitur. In illis enim pœnitentiæ terroribus, cæca est mens humana, sed Filius Dei illuminat cæcos, proferens è sinu Patris mysterium reconciliationis, idque pauperibus, hoc est, illis, qui sentiunt & fatentur, se gloria Dei, gratia, remissione peccatorum, salute & vita æterna destitutos esse, ita, ut per se allequi non possint. Utitur autem verbo *בשר*, Bifar, & *εὐαγγελισσαδαι*, quo vocabulo peculiari Prophetæ futurum in Novo Testamento bonam, latam, & gratuitam annunciationem gratiæ Dei & remissionis peccatorum per Christum denotârunt Syrus habet verbum *בשר*, deductum à radice quæ significat expectare, sperare, confidere: vel quia Evangelium annunciat ea impleta esse, quæ patres diu expectârunt, vel, quia doctrina Evangelii est objectum fidei & spei. Utile autem est observare, quomodo capita doctrinæ Evangelicæ describantur in hoc dicto, quod Christus in Schola Nazaræorum interpretatus est. Et si instituat antithesis, non opus erit proluxa explicatione. Prædicatio enim pœnitentiæ ex agnitione peccatorum tria monstravit: 1. Quod simus captivi Satana. 2. Quod rei simus coram iudicio Dei ad æternam damnationem. 3. Quod cor terroribus illis conquassatum & contritum sit. Et quomodo membra prædicationis Evangelii illis contritionis partibus respondeant, facile potest animadverti. PRIMO. Captivis prædicatur dimissio; quod scilicet per & propter Christum liberati sint à peccato, diabolo, morte, inferno. SECUNDO. Illis, qui iram Dei sentiunt, iudicium damnationis metuunt, prædicatur annus Domini acceptus, de gratia scilicet & misericordia Dei, remittentis peccata, & acceptantis credentes ad vitam æternam. Græcum vocabulum *δεκτός*, non intelligendum est, quod annus ille fidelibus tantum gratus & jucundus sit, ob illam annunciationem: sed, sicut Ebraei significantissimum vocabulum *שנת* habent, Græcè *εὐδοκία*, significat gratium beneplacitum, & benevolam bonitatem Jehovah complectentis & accipientis credentes propter Christum, ut sit annus placationis. Et totum tempus Evangelicæ prædicationis intelligendum esse, ostendit Paulus 2. Cor. 6. v. 2. Ecce nunc tempus acceptabile. Illud autem tempus vocat annum. Alludit enim ad annum Jubilæum, Levit. 25. v. 10. In quo tria, quæ huc pertinent, observanda sunt. In Jubilæo enim omnes servi fiebant liberi: Possessiones amissæ restituebantur, & omnes obligationes debitorum gratuito solvebantur. Talem spirituales Jubilæum, inquit Christus, se promulgaturum. Alludit enim eò, quod certo tempore Annus Jubilæus buccina publicè annunciabatur instare. De accommodatione, quia manifesta est, brivitatibus causa nihil dicam. TERTIO. Territos & contritos sanat, ut corda fide erigantur, contractos dimittit, liberatos & liberos *ἐλευθερωσει*, id est, per remissionem peccatorum dimittit, ut reconciliati, & iustificati fide, habeamus pacem & accessum ad thronum gratiæ.

Hæc verò prædicatio, licet communis est omnibus ministris verbi, propriè tamen in hac Esaiæ sententia tribuitur Christo, quia in illo, per &

Harm. Tom. I.

propter illum prædicanda est gratia Dei, remissio peccatorum, salus, & vita æterna: ipse mysterium illud Evangelii ex sinu æterni Patris protulit, & ad ejus vocem reliqui ministri omnes alligati sunt. Brevis sanè, quàm res tam amplè patiuntur, hæc annoto, sed hæc est instituti nostri ratio.

Ad has duas ministerii partes pertinet etiam tertium, ut scilicet liberati serviamus liberatori. Ille enim sanat naturam contractam, ut possit novam obedientiam incoare & præstare.

Postremò sunt quædam in hoc Esaiæ dicto ita hujus solius personæ propria, ut nulli creaturæ communicentur. Ut quod vox doctrinæ Evangelii non tantum auribus externis insonat: sed quod sequitur efficacia, ut cæci illuminentur, ut contriti lenentur, ut non tantum prædicetur dimissio, sed vincit emittantur in dimissione. Hæc efficacia fit quidem per externum ministerium; sed solius Christi propria est. Ideò Esaias utrumquè conjunxit, & prædicationem & efficaciam. Verbum enim *בשר*, quo Propheta utitur, significat aliquid ponere sive ligare super vulnus, id quod ministerium facit: ut verò alligatio illa sanat, alterius efficaciam est. Illud verò præcipuè solius hujus personæ proprium est; obedientia scilicet & morte sua mereri & acquirere medicinam illam contritorum, dimissionem captivorum, & verum annum Jubilæum, acceptum Domino, in quo scilicet Deus vult propitius esse.

Hæc capita ideò volui notare. Jucundum enim est, aliquid posse cogitare, qualis fuerit interpretatio, de qua cum tanta gratia & omnium admiratione Christus in Synagoga Nazaræorum disseruit. Ita ergò, cum Nazaræi regium splendorem, si Messias esse vellet, in ipso requirere viderentur; cum dicerent: Medice, cura te ipsum; & moverentur, quod non principes populi, sed misera & despecta, plebecula ipsum sectaretur. Christus hoc dictum Esaiæ opponit, quod describit, & verum Messias officium, & qualis futurus sit ipsius populus, pauperes, scilicet cæci, captivi, contriti. Ut dicamus, nec securi, nec superbi esse, si volumus beneficiorum Christi particeps fieri, sed humilitatis agnitione & sensu morbi quæramus medicum.

De auditoribus verò Nazaræis Lucas tria commemorat.

1. Quia exactis primi anni ministerii Christi multa per famam cognoverant, jam cum præsentem ipsum audirent docentem, (*oculi omnium in ipsum intenti fuerunt.*) *ὀφθαλμοί* enim significat, quando fixis oculis attentè & quasi immobiliter in obtuitu alicujus hæremus. Et his externis gestibus describitur, qua attentione concionem illam audierint ab eo, quem sciebant, literas non didicisse, sed viderant, fabrilis ipsum tractasse.

2. Dicit *ἐμαρτυροῦν αὐτῷ*, hoc est, mens illorum iis, quæ à Christo dicebantur, ita convicta fuit, ut nec dubitare, nec contradicere possent, prophetiam in ipsum competere, idque non tacito tantum consensu, interea dum proponebatur, sed publico etiam & manifesto testimonio inter se comprobare. Alii *ἐμαρτυροῦν* ita interpretantur: Dabant illi præclarum testimonium commendantes & laudantes ipsum, quod Scripturas tanta cum auctoritate & prudentia explanaret.

Bb 2

3. Ad.

3. (*Admirabantur super verbis gratia, quæ ex ore ipsius prodibant.*) Quibus verbis Evangelista significat, tantam fuisse gratiam concionis illius, ut non mentem tantum auditorum occuparet, verum etiam in voluntatem penetraret, & cor suavitate afficeret, ut non possent non doctrinam ejus amare, suscipere, & ea delectari. Nam (*verba χάρου,*) sunt gratiosa, vel gratia plena, vel acceptabilia verba, afficientia cor.

Quod verò in historia sequitur, illos, qui ita concione Christi afficiebantur, sicut dictum, mox verbis & factis se ipsi opponere: eo & pravitas humani ingenii, & causa reprobationis seu rejectionis ostenditur; quare scilicet non omnes, quibus Evangelium offertur, salventur. Et est quasi præludium rejectionis Judæorum. Est autem notabile exemplum, in quo tanquam viva imago proponitur; quomodo Filius Dei mentem & voluntatem per ministerium verbi præveniat & moveat, & quomodo humani ingenii pravitas Spiritui sancto per Verbum moventi & operanti resistat, repugnet, & opponendo contrarium actum, operationem ejus excuciat & dissolvat. Et hoc exemplum propterea est notandum, ne incipiente in nobis operari Spiritu sancto, reperiamur *θεοπαροί*. Cum enim notoria esset Nazaræorum malitia, quæ etiam proverbio locum dedit, Joh. 1. v. 46. Num à Nazaræis potest aliquid boni esse? Jesus non statim in principio ministerii sui doctrinam cœlestem propius ad illos attulit, sed publica ministerii sui fama prius in expectationem ipsos erexit. Postea, conciliata hoc modo attentione, doctrinam ipsam proponit, & per eam in mente, voluntate & corde ipsorum incipit operari, sicut dictum est. Sed ipsi repugnando, & contrarium actum opponendo, semen jam erumpens conculcant, suffocant, imò evellunt. Et observetur in hoc exemplo, quomodo illud fiat: ut nos tales contrarios actus caveamus, quibus Spiritus sancti operatio impeditur & dissolvitur. Illas autem circumstantias tantum, quas Lucas descripsit, considerabimus. Dicebant igitur (*Nonne hic est filius Joseph?*) Quidam hæc ita accipiunt, quod (*omnes,*) hoc est, plerique promti fuerint, ad credendum ipsi: fuisse verò quosdam, qui ipsum propter generis obscuritatem cœperunt contemnere, & doctrinæ ejus obtrectare. Sed textus ita cohæret: (*Omnes arreptabantur ipsi, & dicebant: Nonne hic est filius Joseph?*) Dicunt igitur, omnes eadem illa verba dixisse, sed non eodem sensu. Quosdam enim ex admiratione hoc dixisse, agnoscens plane divinum esse, quod homo obscurus, subitò ad tantam sapientiam evehctus sit. Alios verò ex contemptu & cum offendiculo hæc dixisse: illum non posse Messiam esse, nec doctrinam ejus esse divinam, qui ex obscuris parentibus ortus literas non didicerit. Sed textus simpliciter sonat, illos, qui antea cum admiratione concionem illam Christi celebrarunt, mox objecisse illud: (*Nonne hic est Josephi filius?*) Atque ita historia ostendit, Nazaræos, cum doctrinam Christi improbare non possint, quærere, & aliunde accersere, speciem aliquam scandali, cujus prætextu doctrinam rejiciant, & applicationem ejus excutiant: quia scilicet nutrimentum ipsius Joseph noverant, & educationem ejus, qualis fuerat, viderant. Num igitur, inquirunt,

ille, qui ante annum gregarius faber apud nos erat, jam cum post annum revertitur, Doctor, Prophetæ, & quidem Messias erit? Et Christus proverbio de Prophetæ in patria contempto, quod in proximo capite explicavimus, ostendit, universale hoc esse, quòd personæ ministerii propter vitæ humilitatem contemnuntur: quòd contentis personis doctrina, officium, & dona etiam in illis contemnuntur, & contentum illum interpretatur, esse, quando doctrina non recipitur. Et inde potest colligi, qualis sit honor propheticus, quem Christus sibi exhiberi postulat, ut scilicet doctrina recipiatur. Et hic est unus obex, sicut in scholis loquuntur, quem Nazaræi opponunt operationi Christi. Secundus est: (*Omniò dicitis mihi: Medice, cura te ipsum.*) Origo proverbii est, quando quis profiteretur, se aliis velle mederi, cum ipsa interim sædis ulceribus obsessus sit. Huic enim rectè dicitur: (*Medice, cura te ipsum,*) hoc est, ostende prius in te ipso artem & felicitatem medendi. Vanè enim quis aliis pollicetur, quod sibi ipsi præstare non potest. Et malè sapit, qui aliis, non sibi, sapit. Hujus proverbii accommodatione Christus ostendit, cogitationes Nazaræorum, quas operationi Spiritus opposuerunt, has fuisse: Doctrina ipsius pollicetur sanationem, dimissionem & annum acceptum: sed interim ipse miser est, non habens ubi caput reclinet, nec civibus & cognatis suis ea, quæ pollicetur, præstat, cum ipsis præcipuè hæc deberet. Hic obex nimium vulgaris est, quòd doctrina cœlestis etiam, quando de veritate ejus non dubitatur, tamen vel contemnitur vel repudiatur: quia non affert secum externam felicitatem, sed in creditibus, & præcipua in ministris, apparet cum cruce conjuncta esse. Tertius, Nazareth est patria tua: Ergò nobis potius quam Capernaith debetur, ut simus beneficiorum tuorum particeps. (*Quæ igitur in Capernaum fecisti, fac & in patria tua.*) Et hac ratione multi seducuntur, quòd propter externam aliquam prærogativam arbitrantur sibi deberi beneficia Christi & salutem æternam, etiam si verbum non suscipiant. Sicut Judæi clamabant: Templum Domini, templum Domini. Quartus. Cum de veritate doctrinæ jam convicti essent, petunt signa, tantum ut habeant, quod tergiversentur. Licet enim & ideò miracula quædam ediderit, Matth. 13. v. 58. tamen causantur, illa & pauciora & minora esse illis, quæ alibi fecerit. Dicunt igitur *ορα*, id est, tam multa & tam magna miracula, sicut in Capernaum fecisti, fac & hic, in patria tua. Malus enim est Medicus, qui id, quod aliis pollicetur, & præstat, sibi aut suis præstare vel non potest, vel negligit. In hanc enim sententiam Christus proverbium hoc allegat. Ita multi cogitant; Si Deus tot & tanta mihi exhiberet beneficia, sicut Abrahamo, tunc crederem & pietatem libenter colerem. Quando hæc membra ita distribuuntur, tunc rectius considerari potest doctrina, quomodo pravitas carnis, etiam quando cæcitas illuminari cœpit, repugnet operationi Spiritus sancti.

Christus verò illis verborum & cogitationum objectionibus responsum opponit ab exemplo Eliæ, 3. Reg. 17. v. 9. & Elisei, 4. Reg. 5. v. 8. Hi enim duo Prophetæ præcipuè miraculis clari fuerunt. Et Nazaræi de miraculis conqueri videbantur.

tur. Hæc exempla à quibusdam non rectè accommodantur, quasi sententia sit: Non mirum esse, Nazaræos non credere. Dei enim decretum esse, non debere Nazaræos participes fieri beneficiorum Messia: vel, Deum non velle Nazaræos per Christum salvos fieri. Certè Christus se & beneficia sua non simulatè, vel ad perniciem, Nazaræis offert. Contextus autem ostendit, in quam sententiam exempla hæc à Christo allegentur. Primò, quia Nazaræi, spretis spiritualibus illis beneficiis, de quibus Jesaia sententia loquitur, de miraculis & illustrioribus externis beneficiis alibi editis quærebant. Ostendit igitur Christus exemplis Eliæ & Elisæi, gratiam & salutem per Verbum in genere omnibus offerri: miracula verò & externa admiranda dona, seu illustria beneficia, Deum dispensare certa, ac bona voluntate, quando & quibus ipse voluerit: sicut de donis peculiaribus Paulus dicit 1. Cor. 12. v. 11. dividens singulis prout vult. Ita dicit, certa Dei voluntate non viduis & leprosis in Israel præstita miracula illa Eliæ & Elisæi. Dicit enim: Ad nullum eorum missus fuit Elias. Nec tamen viduæ & leprosi, quibus miracula illa præstita non fuerunt, propterea damnati sunt, si crediderunt. Non itaque indignemur, si talia vel dona, vel externa peculiaria beneficia nobis non conferantur, sicut aliis: satis nobis sit, quod gratia Dei & salus nobis offeratur & conferatur. Item discamus hinc, ne spretis spiritualibus & æternis beneficiis Dei vel signa, vel externa & peculiaria dona Dei, tantum expetamus. Secundò, exempla illa ad Nazaræos ita etiam rectè accommodantur. Obliquè indignabantur Nazaræi, cum aliis multis doctrina & illustribus signis Christus benefecisset, quòd primò post annum in patriam veniat, atque ibi nec multa nec magna signa edat. Exemplis igitur respondet, non fieri hoc vel ex sua impotentia, vel quasi patriæ minus bene velit, quam aliis civitatibus: sed culpam hæere in ipsis Nazaræis. Prophetas enim cum suo ministerio solere in patria contentos esse, ac contentum illum reddere homines indignos beneficiis Dei. Et illud probat exemplo Eliæ & Elisæi: qui, licet Israelitæ beneficiis illis indigerent, idè ad externos & peregrinos missi sunt, quia ministerium ipsorum domi à suis spernebatur & repudiabatur. Et Deo quidem majori curæ fuerunt Israelitæ, quam Sidonii. Illis enim priùs Prophetas misit, sed, propter ingratitude & contemptum, primi facti sunt novissimi, & novissimi primi. Ostendit etiam his exemplis, Deum solere præteritis illis, qui se maximè dignos putant, abjectis gratiam suam conferre. Item, ministerium suum non idèd fore inane & sine fructu, quòd in patria non recipiatur. Cum enim Elisæi doctrina in terra Israel à paucis reciperetur, & à pueris etiam rideretur, misit Deus peregrinum Naaman ex Syria, per quem vera agnitio & cultus Dei inter gentes sparsus fuit. Ita Christus tacitè his exemplis submonstrare voluit, fore, ut regnum Dei à Judæis auferatur, & detur gentibus. Obiter autem notanda est phrasis particula *ei µη*, (Nisi): quòd scilicet hoc loco sit particula non exceptiva, sed exclusiva. Sarephthana enim & Naaman non continentur sub Judaicis viduis & leprosis: unde fit exceptio. Sed sensus est exclusivus: ad nullam Israelitarum viduam, sed ad extra-

Harm. Tom. I.

neam, missus fuit Elias. Et hoc observandum est propter locum Gal. 2. v. 16. Scimus, hominem justum non fieri ex operibus Legis, nisi per fidem Christi. Hæc accommodatio exemplorum congruit ad contextum hujus historiae, & præbet utilem doctrinam. Ostendit enim, quomodo Filii Dei bonitas cum repugnante pravitate hominum quasi luctetur. Occulta enim cordium ipsorum manifestat, objectiones solvit, ingratitude arguit, & pœnam minatur, fore, ut regnum Dei ab ipsis auferatur, & detur aliis. Et hæc sunt media, per quæ adhuc vult duritiem cordis auferre.

Sed vide, quò progrediatur homo, quando ad cæcitate accedit carnis pravitas, & ad pravitate accedit petulans repudiatio Verbi, & affectata excussio operationis Spiritus: quòd præcipuè fit, sicut hoc loco, quando Jesus Nazaræorum morbos detegit, mores notat, & vitia reprehendit, & taxat, sicut scriptum est, Proverb. 15. 12. Non amat pestilens eum, qui se corripit: Amos 5. v. 10. Odio habet corripientem in porta. Omnes enim illi in synagoga, qui antea doctrinæ ejus testimonium dabant, & gratia verborum ejus movebantur, nunc tantum non irascuntur, sed indignatione implentur, eò quòd obliquè aliorum exemplis ipsorum ingratitude & malitia perstringebatur. Quòd tamen in hunc finem fiebat, ut cogitarent de emendatione, ne similes pœnas incurrerent. Simul igitur insurgentes apprehensum Jesum contumeliosè civitate ejecerunt. Et hac contumelia non contenti duxerunt eum ad præcipitium montis, ut inde ipsum præcipitem darent. Hoc scilicet est præmium, quòd patria Nazareth Christo, propter fidelem admonitionem, rependit, & tamen postea eò redidit, Marc. 6. v. 1. Nazaræi igitur, populares & concives Christi, primi fuerunt, qui Christo manus iniecerunt, & periculum vitæ ipsius intenterunt, idè; tanto furore, ut ne Sabbati quidem rationem haberent. Cum enim aliàs die Sabbati ne pulicem quidem occidere, (sicut adhuc hodiè habent Judæorum superstitiones) sibi licitum existimarent: jam Messiam ipsum die Sabbati conari interficere, nulla ipsis religio est. Ita quicumque occidet vos, putabit, se cultum Deo præstare, Joh. 16. v. 2. Tria autem genera mortis Christo intentata fuerunt: præcipitium à Nazaræis; gladius ab Herode, Luc. 13. v. 31. lapidatio à Judæis, Joh. 8. v. 59. Sed cruce mori debebat. Arbitror autem, non tumultuarium fuisse hoc Nazaræorum factum. Fuit enim certum genus supplicii, quo Edomitæ hostes populi Israel affecti leguntur 2. Par. 25. v. 12. Ubi etiam Græci interpretes verbum illud *κατακρημνίσαντες* ponunt, quòd Lucas usurpat. Ad supplicium alludit etiam Psal. 137. v. 9. Et 2. Maccab. 6. v. 10. duæ mulieres, quæ contra mandatum regis pueros circumciderant, præcipitantur de muris, ubi idem etiam vocabulum extat. Si hoc modo accipiatur, illustrior erit historia, quòd publico quasi synagogæ decreto ad hoc genus supplicii abductus fuerit, quasi qui sine vocatione Pseudopropheta esset. Apud gentes etiam calumniatoribus hoc genus supplicii constitutum fuisse, exemplum Zoili calumniatoris Homeri ostendit. Cujus collatio monet, quare Christum voluerint hoc genere supplicii afficere, quia scilicet à Pharisæorum doctrina discedebat, & traditiones illorum re-

Bb 3

pre-

prehendebat. Vocant autem Græci ἰσχυροὺς tumulos, seu loca editora. Sicut enim supercilia in facie hominis prominent, ita locorum κρημνῶδῃ, unde præcipitium est. Lucas vocat montis superciliū. Abduci igitur se passus est ad summum & prominens montis præcipitium. Sicut enim rogantibus non deest, & venientes ad se non rejicit foras, Joh. 6. v. 37. ita reluctantibus & rejicientibus non ingerit se, sed patitur, se ejici à suis civibus, ad quos tamen postea, Marc. 6. v. 1. redit. Tanta est ejus bonitas quærens nostram salutem. Beda dicit: Diabolum non ausum præcipitare Christum ex pinnaculo templi, sed dixisse, mitte te deorsum: Nazaræos verò Diabolo pejores voluisse Christum de monte præcipitare. Sed præcipitari se, non est passus: Nondum enim aderat tempus morti ejus destinatum, nec locus ille morti ejus, nec tale genus mortis ipsi præordinatum erat.

Ibi igitur documentum divinæ suæ potentiae ostendit tale, ut adhuc illos fleteret. Nam (*transiens per medium illorum abibat.*) Quod ita factum est: Tota multitudo sine dubio ad spectaculum illud effusa fuit, & omnes indignatione & furore repleti volebant ipsum extinctum. Cumque è summo montis vertice præcipitandus esset, habuit totam multitudinem à tergo. Sed Jesus mox vertit se, nec per alium locum à fronte evasit, sed per mediam à tergo circumfusam multitudinem transibat, ita, ut nemine prohibente vel comprehendente tutus & incolumis evaderet. Quidam existimant, Nazaræos cæcitate percussos non vidisse Jesum

per medium ipsorum transeuntem, sicut habet historia Loth, Gen. 19. v. 11. Et Elisæi, 4. Reg. 6. v. 18. Sed ex circumstantiis hujus historiae illud colligi non potest. Et majus miraculum est, si simpliciter ita, sicut verba sonant, accipitur: Quod, cum paulò ante omnes fremerent, & publica vi ipsum civitate ejectum ad supplicium abducerent: jam scientes & videntes ipsum per medium ipsorum transire & evadere, stant quasi omnium manibus vincula essent injecta, nemine ipsum vel impediante vel comprehendente. Ut ita non viderent tantum, sed sentirent divinam in Christo potentiam, si adhuc flesti possent. Ita enim miraculum affine erit ei, quod Joh. 18. v. 6. describitur. Monachi, ut miraculum hoc augeant, dicunt ex vertice montis, ad quem deductus erat, ipsum descendisse, & quia præcipitium erat, duritiem petrae ut ceram Christi corpori cecidisse, & facto sinu locum præbuisse, ut contra vim Nazaræorum abscondi posset: & dicunt, vestigia pedum, & rugas vestimentorum in petra ostendi. Sed cum descriptione Lucae hoc non convenit. Et illustrius documentum est divinæ potentiae, quod in ipsis Nazaræis frementibus, & tamen videntibus Christum per medium sui transire, exhibetur, quam si in petra tale quid factum fuisset. Alii dicunt, Christum in latere montis in alia parte per miliare oppositi inventum, & locum illum vocant saltum Domini. Sed omittis hominum commentis ea, quæ Spiritus. S. Evangelistas annotare curavit, observemus.

CAPUT XXXV.

CONTINENS HISTORIAM TRANSLATÆ HABITATIONIS CHRISTI EX NAZARETH IN CAPERNAUM: ET QUÆ FUERINT SUMMARIA CAPITA CONCIONUM CHRISTI IN GALILÆA, MATTH. 4. MARCI. 1.

RATIO ORDINIS

HANC historiam optimo ordine subjungi præcedenti, manifestum est. Quia enim Lucas dixit, Nazarethanos Jesum, qui hæcenus jus civitatis, & locum habitationis, ibi habuerat, civitate ejecisse, ut qui amplius ipsum apud se habitantem ferre nollent: Matthæus igitur subjungit, Jesum reliquisse Nazareth (propter causam scilicet à Luca indicatam,) & venisse Capernaum: non sicut antea eò venerat; nec sicut alias civitates peragrabat; sed ἐλθὼν κατοίκησεν εἰς Καπερναὺμ, hoc est, ita venit, ut habitationem suam, quam hæcenus cum matre & Josepho habuerat in Nazareth, jam transferret in civitatem Capernaum. Idè Evangelista utitur non præpositione ἐν, sed εἰς, quæ motum ad locum significat. Ita enim verbum κατοικῆσεν usurpatur Act. 7. v. 2. de commigratione Abrahami ex Chaldæa in Haram. Et 4. Reg. 17. v. 24. coloniæ, quæ ex Chaldæa in Samariam transferebantur, hoc vocabulo apud Græcos interpretes describuntur. Inde Matthæus c. 9. v. 1. de Capernaum dicit: *Jesus venit in suam civitatem.* Et Matth. 17. v. 24. exigitur ab ipso tributum, tanquam à cive. Jus igitur habitatio-

nis & civitatis ipsum apud Capernaum impetrasse, hinc sequitur. Et regulum, de quo Joh. 4. v. 46. negocium hoc opera sua apud Capernaum diligenter adjuvise, non est dubium, quod eò etiam facilius confici potuit, quia antea & doctrina & miraculis Jesus plura in Capernaum fecerat, quam in aliis Galilææ locis, sicut Nazaræi dicunt Lucae 4. v. 23. Quanta fecisti in Capernum, fac & in patria tua. Hæc igitur plana sunt. Observandum autem est, quòd etiam Lucas post ejectionem Nazaræorum dicit, Jesum descendisse in Capernaum: Sed quia addit, tunc ipsum sanasse dæmoniacum in Synagoga, quod Marcus cap. 1. v. 21. dicit factum post vocationem Petri, Jacobi & c. Non ergo idem adventus Christi in Capernaum est, quem hoc loco Matthæus describit, cum eo, de quo Lucas cap. 4. v. 31. loquitur. Sed ordo talis est: Cum ex Judæa Jesus redisset in Galilæam, ex Cana digressus est in alia Galilææ loca; & inter ea venit etiam Capernaum, sicut Nazarethani, Lucae 4. v. 23. dicunt. Postea venit Nazareth: unde cum ejectus esset, descendens, sicut Lucas inquit, (quod verbum hoc loco in Harmonia addidimus,) venit in Capernaum trans-

transferens eò suam habitationem. Quem adventum solus Matthæus describit cap. 4. vers. 13. Postea vocatis quatuor discipulis rediit Capernaum, liberans dæmoniacum: qui adventus Marci 1. vers. 21. & Luca 4. vers. 31. describitur. Hæc observatio ad discernendas & rectè dirigendas

historias necessaria est. Quia verò Matthæus, post translationem habitationis Jesu in Capernaum, summam concionum ipsius in Galilæa habitatarum describit, conjunxi in Harmonia verba Marci, quibus eadem capita describuntur.

HISTORIA, QUOMODO JESUS HABITATIONEM SUAM EX NAZARETHA TRÅNSTULERIT IN CAPERNAUM: ET QUÆ FUERINT SUMMARIÀ CAPITA CONCIONUM CHRISTI IN GALLIÆA, MATTH. 4. MARC. 1.

13. α και καταλιπὼν Ἰησοῦς τὴν Ναζαρεθ, c καὶ ἦλθε, κ α ἐλθὼν κατοικῆσεν εἰς Καπερναὺμ τὴν παραθαλασσίαν, c ἐν ὄρεσις Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλείμ.
 14. ἵνα πληρωθῆ τὸ ρηθὲν διὰ Ἠσαΐα τὸ προφῆτα, λέγοντι·
 15. Γῆ Ζαβουλὼν καὶ γῆ Νεφθαλείμ, ὁδὸν θαλάσσης, πέραν τῆ Ἰορδάνη, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν,
 16. Ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκοτὶ εἶδε φῶς μέγα, καὶ τοῖς καθημένοις ἐν χώρα καὶ σκιᾷ θανάτου, φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς.
 17. Ἀπὸ τότε ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν Γαλιλαίαν, α καὶ ἤρξατο κηρῶσεν β τὸ εὐαγγέλιον τῆ βασιλείας τοῦ Θεοῦ, α καὶ λέγειν· β ὅτι πληρωται ὁ καιρὸς, καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ· c Μετανοεῖτε, β καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ· α ἡγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

13. a Jesus reliquit Nazareth, c descendit, & a profectus habitavit in Capernaum, que est civitas maritima in finibus Zabulon & Nephthalim.
 14. Ut impleveretur, quod dictum fuerat per Esaiam Prophetam, dicentem:
 15. Terra Zabulon & Nephthalim, juxta viam maris, ultra Jordanem. Galilea gentium,
 16. Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: Et qui sedebant in regione & umbra mortis, lux orta est eis.
 17. Ex eo tempore (quo scilicet ex Judea) b venit Jesus in Galileam, & a cepit b predicare Evangelium regni Dei, a & dicere: b Impletum est tempus, instatque regnum Dei: c penitentiam agite, b & credite Evangelio: a instat enim regnum celorum.

Periocha hujus Historie.

Ostendimus, Matthæum verbo κατοικῆν describere commigrationem seu translationem habitationis Christi ex Nazareth in Capernaum. In illa autem civitate voluit quasi sedem habitationis suæ ponere. Fuit enim tunc temporis Capernaum celebre emporium, & præcipua civitas totius Galilææ. Unde Cæsar ibi habuit suum centurionem: Herodes suum palatinum seu regulum: Pontifices suum archisynagogum: per eam etiam via fuit, ex Mesopotamia scilicet, Chaldæa, Cœlesyria, & Trachonitide ad mare magnum, sicut Matthæus hoc loco dicit, vel ad Prolomaida, vel per Galilæam gentium ad Tyrum, & Sidonem. Quia igitur in Capernaum conveniebatur magna frequentia, non Galilæorum tantum, sed Judæorum etiam, & exterarum gentium: propter illam opportunitatem, ut ibi inter multos, atque inde ad plures doctrina Evangelii spargeretur, voluit Christus quasi sedem ministerii collocare in civitate Capernaum. Et quia in magnis emporiis plerumque vitia magis regnant quàm alibi, voluit ibi Christus, tanquam medicus inter ægrotos, habitare, ac regnum Dei diaboli regno ita opponere. In veteris autem Testamenti libris non fit mentio hujus Capernaum: unde colligitur, posteris temporibus eam conditam & auctam propter opportunitatem situs & itineris ad mare magnum. Scribit enim Josephus de bello Judaico lib. 3. cap. 18. ad lacum Genezareth regionem ejusdem nominis pulcherrimam & fertilissimam sitam fuisse, quæ fonte quodam aberrimo irrigetur, quem venam Nili fluvii arbi-

trantur, propter piscem quendam, qui, sicut in Nilo, ita etiam in fonte illo, generetur. Illum fontem scribit Josephus ab indigenis vocatum Capernaum: unde absque dubio civitatis Capernaum nomen fuit, cujus situs scribitur talis fuisse: quòd Jordanis à Septentrione inter Capernaum in littore occidentali, & inter Corazim in littore orientali in lacum Genezareth influxerit. Matthæus dicit, sitam in confinio tribuum Zabulon & Nephthalim, ubi terminabantur, & vocat, τῆ παραθαλασσίαν, maritimam seu sitam ad mare, non mediterraneum, sed Genezareth. Civitates enim ad mare magnum sitæ, vocantur τῆ θάλασσαν, sed quæ ad oram lacus Tiberiadis sitæ sunt, τῆ θαλασσίας. Apud Josephum verò civitatis Capernaum non fit mentio, quod inde factum arbitror: Scribit enim Josephus Antiq. lib. 18. cap. 3. Herodem Tetrarcham in ora lacus Genezarethici urbem à se conditam appellasse Tiberiada, cum in amicitiam Tiberii receptus esset. Scribunt autem, civitatem Tiberiada in regione Genezareth ad oram stagni in longum protensam. Et Josephus scribit, partem ejus in solo sepulcris referto conditam: existimo igitur Capernaum ab Herode ampliata, & veteris Capernaum sepulcreta complexam, novo nomine Tiberiadis Josephi tempore appellatam. In vita verò Josephi in Græco exemplari pag. 654. in Latino 575. narrat, se ex pugna deportatum in vicum κεφαρναῖμην Cepharnomen: quod mutatis punctis & pronunciatione, idem est quod Capernaum. Nunc scribunt, vix septem miseræ piscatorum casas in loco illo sitas.

Multis autem locis tributa fuit appellatio כפר, quod significat oppida non mutata in Thargum. Ita Jos. 9. vers. 17. Gabaanitarum quædam civitas vocatur Caphura: Jos. 18. v. 25. quædam civitas Benjamin est Cephur: 1. Maccab. 7. vers. 31. est civitas Capharsalama. Apud Josephum est campus quidam, Capharsaba, & vicus Caphartophan. Capernaum verò significat vicum consolationis, ut si nostra lingua dicas *Crossdorff*: à fontis, agri, & civitatis amœnitate & fertilitate. Significat verò etiam כפר propitiationem, seu expiationem, & תשובה, pœnitentiam: atque sic Capernaum est quasi propitiatio pœnitentium: quod pulcherrimè convenit ad ministerium Christi, cujus summa est doctrina de pœnitentia & de propitiatione, in Capernaum præcipuè propoſita. Et quia Christus, qui est verum כפר propitiatorum תשובה pœnitentium, in Capernaum habitavit. Sed & fonti & civitati Capernaum à loci amœnitate nomen tributum fuit. Hæc de civitate Capernaum, quia Christi civitas fuit, atque ita ad cœlum usque exaltata, hoc loco annotare volui.

In ea igitur civitate Capernaum, & in vicinis locis citra & ultra Jordanem, Christus post captivitatem Johannis, usque ad finem ministerii sui, ut plurimum versatus est, & hæc loca præ reliquis doctrina & miraculis nobilitavit. Apostolos etiam plerosque in illis locis oriundos vocavit & elegit. Quia verò Judæi hoc calumniabantur, Joh. 7. v. 52. & Luc. 23. vers. 5. & aliàs mirum videri posset, quòd Galilæam potius, quàm Judæam, ministerii sui quasi sedem elegerit, quodquè habitationem suam non Hierosolymas, sed Capernaum, transulerit: Matthæus igitur ex Esaiæ vaticinio, quod extat cap. 9. v. 1. ostendit, certo consilio Dei hoc factum esse. Nolo autem omnium disputationes de hoc loco Esaiæ referre, sed illam explicationem & accommodationem, quam judico esse simplicissimam, breviter annotabo.

Hoc extra controversiam est, quòd Propheta similitudinem petat ex historia captivitatis duarum tribuum & dimidiæ ultra Jordanem, unà cum tribu Nephthalim, per Theglathalasar, 4. Regum 15. vers. 29. & ex captivitate totius regni Israël, quantum adhuc reliquum erat per Salmanasarem, 4. Reg. 17. v. 6. Sed de accommodatione sequentium in sententia Esaiæ disputatio est. Rabini, & qui eos sequuntur, accommodant ad tempora Sennacherib, quæ duriora fuerunt quàm præcedentia: Et populum sedentem in umbra mortis interpretantur de Jerusalem, à Sennacherib durissimè obſessa: Lucem verò de liberatione sub Ezechia exponunt. Et dicunt, Evangelistam hoc dictum idè ad prædicationem Christi accommodare, quòd veteres illæ clades & liberationes fuerint typus spiritualis miseriar, & liberationis per Christum. Alii accommodationem per modum similitudinis faciunt, sicut tunc post varias clades, cædem Sennacherib, & reductionem ex Babylone, liberatio secuta fuit: ita nunc post captivitatem spiritualem sequi & adesse liberationem per Messiam. Sed Evangelista simpliciter lucem illam, de qua Esaias loquitur, interpretatur de doctrina, miraculis &

officio Messia, & populum, cui lux illa oritur, intelligit eos, quos Esaias paulò antè nominarat, habitantes scilicet in terra Zabulon & Nephthalim. Et cum hac Matthæi interpretatione contextus etiam Esaiæ benè convenit. Usitatum enim est Prophetis in consolationibus, in calamitatibus, tandem devenire ad promissiones de Messia: Et in hoc loco Esaias dicit, proximis temporibus ante Messia adventum duriores fore calamitates, quàm quæ fuerunt vel in leviori clade, 4. Reg. 15. v. 29. vel in graviori illa, 4. Reg. 17. v. 6. Dicit enim: non obscurabitur, qui angustus afficietur, sicut 4. Reg. 15. & 17. Sed quasi in umbra mortis habitabunt: Tunc verò magna illa lux per Messia adventum affulgebit. Nam c. 7. & 8. loquitur de persona & officio Messia: & mox post verba hoc loco allegata, sequitur: Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, &c. Et quidem paulò antè dicit, fore, ut Messias veniens multis sit lapis offensionis & petra scandali, præcipuè habitatoribus Hierusalem. Orat igitur Propheta: Liga testimonium, signa Legem in discipulis meis. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus, &c. Addit autem, fore, ut lux illa, ab habitatoribus Hierusalem repudiata, ab habitatoribus Zabulon & Nephthalim recipiatur. Ita simplicissima erit explicatio, si verba ita accipiantur, quòd Propheta prædicat imminente adventu Messia tristitiam tunc fore calamitatem, in Galilæa præsertim (illa enim loca disertè nominat) quàm fuerit in isdem locis, tempore duarum captivitatum, 4. Reg. 15. vers. 29. & 17. vers. 6. Et post hæc subiungat promissionem, fore, ut populus ille habitans in Zabulon & Nephthalim, qui in densissimis tenebris, & quasi in umbra mortis ambulet, clarissimè videat magnam illam lucem doctrina & miraculorum Messia. Ex hac commemoratione manifestum est, quomodo Matthæus illam Esaiæ sententiam ad suum institutum accommodavit, qua scilicet ratione factum sit, quòd Jesus Galilæam potissimum, & loca circa Capernaum in tribu Zabulon & Nephthalim doctrina & miraculis suis illustravit. Videntur autem Propheta & Evangelista significare: In Judæa & Hierosolymis, quia ibi scholæ & studia florebant, plusculum adhuc lucis fuisse, respectu Galilææ, quæ densissimis ignorantia tenebris quasi barbarie obruta fuerit, ita, ut quasi prodigii loco tunc habitum fuerit, dicere, ex Galilæa, quæ milites potius & seditiosos, quàm doctos, gignebat, Prophetam exortum. Et tamen Jesum illam partem terræ, quæ quasi in umbra mortis ambulabat, hoc est, verlabatur, potissimum sibi delegisse, quam ministerio suo illustraret: ostendens simul, qualis sit Novi Testamenti populus, & qui sint idonei discipuli Evangelii, qui scilicet in tenebris sedent, juxta sententiam Pauli 1. Corinth. 1. vers. 26. Non multi sapientes, nobiles, potentes, sed, &c. Phrasis verò de umbra mortis explicata est Luc. 1. vers. 79. Lucem autem vocat ministerium & officium Christi, & vocat magnam lucem. Fuit enim & Prophetarum doctrina lux, & liberationes externæ etiam vocantur lux: sed doctrina & liberatio Messia vocatur magna lux apud Esaiam.

Quando hoc modo simpliciter sententiam tenuimus, explicatio vocabulorum consideretur.

Nomi.

Nominat terram Zabulon & Nephthalim. Totam enim illa pars terræ à Samaria usque ad fines Tyri & Sidonis intra Jordanem & mare magnum quatuor tribubus distincta fuit, quarum duæ Aser & Isaschar mari magno adjacent: Zabulon verò & Nephthalim, alteram partem versus Jordanem, occuparunt: quas duas tribus Evangelista idè primò nominat, quia pluribus miraculis & frequentioribus concionibus Christi nobilitatae sunt. Josephus contra Appionem, Galilæam gentium, quæ Chabul. 3. Reg. 9. v. 13. vocatur, dicit suo tempore vocatam Zabulon. Unde distributio Matthæi ita intelligi poterit, quod Nephthalim sit Galilæa inferior, Zabulon Galilæa superior seu gentium. Reliquas appellationes in sententia Jesaiæ quidam ita interpretantur, ut sit ejusdem tribus Zabulon & Nephthalim plenior per varias descriptiones notatio; ut sit respectu Assyriorum, (*trans Jordanem via maris*) hoc est, terra circa mare Genezareth in Galilæa sita. Sed possunt etiam ita accipi, ut distincta loca, in quibus Christus ut plurimum prædicavit, intelligantur. Græcè igitur in accusativo additur ὁδὸν Σαλαδὸν, sine Præpositione. Ita enim græci interpretes sæpissimè usurpant in quæstione Quæ? vel Quorum? Ut 4. Reg. 3. v. 8. Quæ via ascendam? Respondet ὁδὸν ἔρημου versus delertum. Et c. 24. aliquoties repetitur. Ita, Deut. 2. v. 8. Per viam versus desertum, 2. Paral. 6. v. 34. simpliciter ita usurpant. Si adoraverint ὁδὸν, hoc est, versus terram Israël. Potest autem hæc particula ita explicari, ut intelligantur loca adjacentia mari magno, in tribu Aser, è regione Galilææ; vel ut intelligantur loca Galilææ, per quæ est publica via ex Syria ad mare magnum. Quòd verò sequitur περὶ ἰωρδάνου, intelligunt ipsam Galilæam, quæ respectu Assyriorum, qui terram illam vastarunt, sita est (*trans Jordanem*;) respectu enim Judæorum, loca illa sunt citra Jordanem. Sed potest hæc particula etiam, sicut sonat, respectu Judææ hoc loco intelligi. Nam in captivitate illa 4. Reg. 15. v. 29. cujus Propheta meminit, duæ tribus & dimidia trans Jordanem habitantes, abductæ fuerunt. Illis igitur locis vicissim jam etiam lucem magnam promittit, hoc modo περὶ ἰωρδάνου, significabit eā partem terræ trans Jordanem, & quæ à mari Genezareth usque ad mare mortuum sub Herodis Tetrarchia fuit, & eam, quæ à Genezareth usque ad fontes Jordanis Philippo Tetrarchæ parebat. In utraque enim transammana, Christum frequenter versatum fuisse, Evangelica historia ostendit. Postremò nominat (*Galilæam gentium,*) quæ nomen inde accepit. Vigintri enim illas civitates, quas Salomò in terra, quæ fines Tyri circumjacet, dederat Hiram Regi Tyri, Græci interpretes 3. Reg. 9. v. 13. vocarunt Galilæam. Significat autem חלילג in genere territorium regionis alicui adjacentis, habens planitiem instar circuli limitatam, Græcis in genere ita dicitur ἐπιχωρίον. Ita tota Palæstina respectu Ægypti & Tyri vocatur חלילג Joel. 13. v. 2. Joel. 3. v. 9. Et regio trans Jordanis respectu reliquæ terræ Canaan ita vocatur, quia ibi sunt limites & confinia Palæstinae, Jos. 22. v. 10. Sicut Germani Marchiam inde vocant. Hæc verò appellatio à Græcis propriè attributa. Pri-

mum limitibus seu confiniis terræ circa Tyrum & Sidonem, 3. Reg. 9. v. 13. Deinde totam etiam illam partem Palæstinae, intra Samariam & fines Tyri, Græci vocarunt Galilæam, ut Josuæ 20. v. 7. ita ut vulgaris postea facta fuerit Galilææ appellatio in libris Macchabæorum, Tobia, & Judith. Distinctionis igitur gratiâ Galilæa postea distincta fuit. Inde Josephus de bello Judaico libr. 3. c. 4. scribit: δύο εἶναι τὰς Γαλιλαίας, πρῶτη ἄνω καὶ τῆς κατὰ προσαναγορευομένην, Duas esse Galilæas, quarum altera superior, altera inferior cognominetur. Complectitur autem sub Galilæa etiam trans Jordanem è regione sitam, quam vocat περὶ ἰωρδάνου Galilæam. Inferiorem autem Galilæam dicit mare Tyberiadis & tribum Zabulon complecti. Reliquam partem usque ad Tyrios vocari superiorem. Et differentia gratiâ inferior vocatur simpliciter Galilæa, à Samaria circa mare Genezareth: altera cum additione vocatur (*Galilæa gentium,*) quam superiorem vocant, ad quam pertinere civitates adjacentes finibus Tyri & Sidonis: historia 3. Reg. 9. vers. 13. ostendit. Et vocatur gentium Galilæa, 1. quia in finibus Palæstinae sita undique in confinio gentes habet: sicut vocatur, Die Wensdische Markt / idè quòd in confinio Sclavoniae sita sit. 2. Quia post captivitates Allyriacam & Babylonicam, pars ejus à gentibus occupata fuit. 3. Quia pars ejus permixtim à Judæis & gentibus inhabitata fuit. Jucunda autem est observatio, quòd Matthæus, Marcus, & Lucas majorem partem suæ narrationis consumunt in historiis illorum locorum, quæ in hac sententia Esaiæ nominantur. Propter illam enim considerationem Matthæus dictum illud Esaiæ allegavit.

Descripta sede (ut ita appellem) ministerii Christi in Galilæa, Matthæus & Marcus annotant, quæ fuerint summaria capita concionum ipsius in Galilæa. Postea enim uterque narrabit, Jesum totam Galilæam peragrasse, & in Synagogis docuisse. Quia verò propositum ipsorum erat, non integras conciones in singulis synagogis habitas describere; voluerunt, priusquam in narrationem historiarum ingrederentur, notare, quæ fuerint summaria capita omnium concionum Christi, quas secundo anno ministerii sui, in Galilæa, à reditu suo usque ad sequens Pascha habuit. Sicut in præcedenti historia Lucas idem fecit. Et non prætereunda est illa observatio, quæ hinc colligitur, Jesum in omnibus concionibus eandem formam doctrinae, & in rebus & in ipsis verbis, servasse. Ideò enim Evangelistæ non judicarent opus esse, de singulis concionibus, peculiarrem descriptionem instituire, sed satis esse, si capita semel annotarentur. Matthæus igitur inquit: (*Ex eo tempore cepit JESUS prædicare;*) quod non in genere de initio publicæ prædicationis Christi, in quo ex veteribus multi hallucinati sunt, intelligendum est, sed de Galilæa. In Judæa enim anno præcedente publicè docuerat: quidem & in Galilæa etiam primo anno cum esset in Cana & Capernaum, de doctrina sua sine dubio cum multis collocutus fuit. Sed Evangelistæ utuntur verbo κηρῦσσειν (quod Græcum verbum etiam Syrus retinuit כְּרַן,) quo Græci interpretes reddiderunt Hebraicum נִקַּר, Kara, Gen. 41. 43. Ex. 32. v. 5. 4. Reg.

4. Reg. 10. vers. 20. Esther. 6. vers. 3. 2. Paral. 8. v. 33. quod significat, non privatim aliquid significare, sed publicè coram multitudine sonora voce, tanquam præco aliquid denunciare seu proclamare, quod verbum ad publicum docendi ministerium translaturum est: Sicut Esaias inquit c. 58. v. 1. Clama, ne parcas, tanquam tuba exalta vocem tuam. Et notandum est, particulam *domini* non referri ad illud tantum tempus, quando Jesus habitationem suam transtulit Capernaum, sed ad totum orationis complexum referendam esse: quòd scilicet Jesus talem publicam prædicationem in Galilæa ex eo tempore, quando, post captum Baptistam, ex Judæa secedens in Galilæam venerat, incoarit. Primo enim anno in Judæa docuerat. Hac ideo observanda sunt. Multi enim veterum in explicatione hujus historiæ apud Matthæum hallucinati sunt, & cum vellent initium publici ministerii Christi in genere etiam in historiis apud Johannem rejicere in tempus post captum Baptistam, ordinem totius historiæ Evangelicæ etiam apud Johannem perturbarunt: quem tamen monstrandi ordinis causa scripsisse, sæpius jam ostendimus. Sed manifestum est, Matthæum non loqui in genere de initio prædicationis Christi, sed tantum de Galilæa, quando ibi publica prædicatione Christi cœperit.

Summam verò concionum Christi Matthæus & Marcus hæc fuisse scribunt: (*Impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei: penitentiam agite & credite. Evangelio: appropinquavit enim regnum caelorum.*) Has conciones Filii Dei in Galilæa, Matthæus dicit, Esaiam in Spiritu prævidisse, & audivisse, & præ exultatione exclamasse: Populus sedens in tenebris, vidit lucem magnam. Nos brevi & simplici explicatione tantum ostendimus, quàm multa his paucis capitibus comprehenduntur: Quæ ideo diligentius observanda sunt: Marcus enim ponit talem titulum seu inscriptionem: (*Prædicavit Evangelium regni Dei.*) & hujus prædicationis summam in hisce capitibus consistere, ostendit. Et quis non optaret summam omnium concionum Christi, brevi compendio comprehensam, posse tenere: Evangelistæ autem docendi gratia capita numerant quatuor: eadem autem capita, quæ Baptista antea docuerat, Christus in suis concionibus repetit, ut doctrinam ejus confirmet, & se eum esse, ostendat, cui Johannes viam pararat: utque consensionem inter doctrinam Christi Domini, & ministri ejus ostendat.

Primo inquit: (*Impletum est tempus.*) Hanc phrasin Filii Dei Paulus imitatus est, Galat. 4. vers. 4. Quando venit plenitudo temporis, Deus misit Filium, &c. Et Eph. 1. v. 10. Proposuit in se ipso in dispensationem plenitudinis temporum. Et similis phrasin extat, Joh. 7. v. 6. Meum tempus nondum impletum est. In Veteri autem Testamento sæpius hæc phrasin accipitur de fine aut termino supputationis certi temporis, quando post multum temporis, initium, ut aliquid fiat, statuendum est, Lev. 8. v. 33. Non exhibitis de ostio tabernaculi, usque in diem, quo complebitur tempus consecrationis vestrae. Num. 6. v. 5. Donec impleverit dies consecrationis nutriet cornam. Deut. 34. vers. 8. Completi sunt dies luctus. Jer. 25. v. 34. Comple-

ti sunt dies vestri, ut interficiamini. Luc. 2. v. 22. Postquam impleti sunt dies purificationis. Act. 2. vers. 1. Dum compleverunt dies Pentecostes, &c. Ex hac collatione phrasium colligi potest, quæ fuerit sententia, quando Christus ita cœpit concionari, (*Impletum est tempus.*) Multa enim in Prophetis extant vaticinia, finem fore Veteris Testamenti, & venturos dies, in quibus Messias, Veteri abrogato, Novum Testamentum incoaret, & illud tempus Prophetæ vocant novissimos dies, Esai. 2. v. 2. Joël. 2. v. 28. Christus igitur dicens, tempus impletum esse, prædicationem suam exorsus est à vaticiniis illis Veteris Testamenti. Et ex hac commonefactione observari potest, quæ capita complexus fuerit sub his verbis: (*Impletum est tempus.*) Tractavit enim testimonia Prophetarum de fine & abrogatione Veteris Testamenti: Item de novissimis diebus, hoc est, de tempore seu incoatione Novi Testamenti, & certis argumentis ex ipsis Prophetarum vaticiniis deductis ostendit tempus illud jam in se impletum esse. Sine dubio igitur doctrinam de persona & vocatione sua quam in synagoga Nazarethana tradiderat, repetivit, quæ huc referri poterit.

Secundum caput est: (*Appropinquavit regnum Dei.*) Sunt autem & hæc verba ex Prophetarum vaticiniis sumta, in quibus Deus promittit, se suscitaturum regnum Messia, ut Esa. 9. v. 7. Jer. 23. v. 5. & 33. v. 14. Dan. 7. v. 14. Psal. 45. v. 7. Hinc populus die Palmarum clamat: Benedictum regnum patris nostri Davidis. Illud autem regnum Prophetæ ita describunt: quòd manifestè affirmat, ipsum Jehovah regnaturum, Esa. 52. v. 7. Quam pulcri pedes annunciantium Sion, regnat Deus tuus. Mich. 4. v. 7. Regnabit Dominus super eos in monte Sion. Psal. 47. v. 9. Regnat Deus super gentes: principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. Psal. 96. v. 10. Dicite in gentibus: quia Dominus regnavit. Idem Messias regnum vocatur Domini regnum, Psal. 21. v. 28. Adorabunt universæ familiæ gentium, quoniam Domini est regnum. Hæc testimoniorum collatio ostendit, Filium Dei conciones suas ex doctrina Prophetarum formasse, & auditores suos remississe ad fontes propheticos, ad eò ut ipsa verba inde mutuari voluerit, quòd ideo fecit, ut probaret, se non novum doctrinæ genus adferre. Messias igitur regnum toties promissum & tamdiu expectatum, dicit *ἵγγυμένον* (*propè accessisse,*) esse in propinquo, & jam incoari. Et illud vocat (*Dei regnum,*) 1. ideo, quia cum propter peccatum essemus in regno & sub potentia, Satana, & mortis æternæ; Deus opposuit suum regnum per Messiam, reducens & liberans nos inde. 2. Quia Christus suo officio aperit nobis & aditum facit in regnum gratiæ & gloriæ Dei. 3. Quia Deus per Evangelium in Christo regnum suum in terram inter homines erigit, vocans, illuminans, convertens ac transferens nos in regnum gratiæ suæ. 4. Quia incipit jam per Spiritum regnare in nobis, ne peccatum in nobis regnet, sed ut Spiritus ejus ducamur, vivamus, ambulemus, & ipsi serviamus. Quæ declaratio maximè fuit necessaria propter carnales Pharisaorum imaginationes de externo & politico regno Messia. Quia verò Filius Dei ideo missus erat, ut sua passione vin-

ctos liberaret, & propter obedientiam suam regnum illud à Patre suo acciperet, Dan. 7. vers. 14. Et nos miseros in illud transferret: ideo inquit: (*Appropinquavit regnum Dei:*) *λίτρον* enim tunc nondum erat perolotum. Syrus habet verbum קרב, accessit, proximum factum est, porrigitur, offertur, applicatur, admovetur regnum cœlorum. Hæc longa oratione possent explicari, sed fatis est, brevi commonefatione fontes monstrasse, unde plenior explicatio peti potest. Et nulla melior explicatio est horum capitum, quam si ex integris concionibus Christi petatur. Referatur itaque huc colloquium Christi cum Nicodemo habitum, & concio Nazarethana, & vera erit explicatio hujus brevis sententiæ: (*Appropinquavit regnum Dei.*)

Tertium caput in concionibus Christi fuit, quomodo regnum illud Dei suscipiatur, ut beneficia ejus apprehendantur & accipiantur: (*μετανοήσατε*, inquit, & *credite Evangelio.*) Sententia manifesta est, Homines sine pœnitentia non esse capaces Evangelii, regni Dei; sed pœnitentia, hoc est, agnitione & sensu peccati, iræ Dei, & æternæ damnationis præparandos esse, ut esurientes & sitientes justitiam, desiderant liberari ex manu inimicorum, & transferri in regnum Dei. Applicationem verò sive apprehensionem regni Dei, fieri fide, cujus objectum sit doctrina Evangelii de regno Dei: ideo dicit: (*Credite Evangelio.*) Hæc manifesta sunt: sed de vocabulis aliquid dicendum est, Ebrai duo habent verba, quibus *μετανοέω*, quo Baptista, Christus & Apostoli utuntur, responderet: נחם Nicham, & שׁוּב Schob. Et Syrus semper pro pœnitentia redditit תׁוּב, quod significat conversionem seu reversionem. Inspeci autem pleraque loca, in quibus duo illa verba in hac significatione usurpantur, & deprehendi, 70. interpretes frequenter aliis verbis in translatione usos esse. Vocabulum verò *μετανοίας* usurpârunt, 1. Reg. 16. v. 1. Et Joël. 2. v. 14. In Græcis vero libris, qui titulo apocryphorum Biblii juncti, post 70. Interpretes scripti sunt, aliquoties verbum *μετανοέω*, ita usurpatur, ut manifestum sit, quod utriusque Hebraico respondeat. Nam Sap. 5. v. 3. respondet Ebraico Nicham pœnitere: Sed cap. 11. v. 24. & 12. v. 10. pro tota conversione accipitur: dissimulas peccata εἰς μετανοίαν. Item: Dabas locum pœnitentiæ. Ita etiam Syrach 44. v. 16. usurpatur, Henoch est ἡπόδειγμα μετανοίας. Et in utraque significatione, vocabulum illud tempore Apostolorum receptum & usitatum fuisse, phrasis Novi Testamenti indicat. Utilis autem est hæc vocabulorum collatio. Inde enim intelligi potest, quomodo Matthæus vocabulo *μετανοίας* totam conversionem, hoc est, contritionem & fidem complectatur, quando inquit, (*Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum calorum:*) & quomodo Marcus distinctè ponat, pœnitentiam & fidem. Consideratio etiam vocabulorum doctrinam de pœnitentia eruditè illustrat. Verbum enim נחם Nicham significat talem agnitionem, considerationem, & cogitationem de re, sive de dicto aut facto aliquo, ut in voluntate & corde sequatur mutatio affectuum, hoc est, aversio, dolor, detestatio seu pœnitentia. Hæc significatio pulcrè redditur

vocabulo *μετανοίας*, quod significat animum & sententiam mutare, vel à proposito seu sententia deduci. Nam *μετανοίαν* vocant figuram orationis, quando quis id, quod prius dixerat, posteriori sententia commutat: & Græcis opponitur *προνοεῖν* & *μετανοεῖν*, ante factum & post factum sapere. Quia verò Hebraica consuetudine, verba notitiæ, simul etiam affectus complectuntur, ut: Novit Dominus viam justorum: hinc *μετανοίας* non tantum agnitionem peccati & damnationis in mente significat, verum etiam affectus, qui seriam illam agnitionem sequuntur, ut sunt dolor, aversio, detestatio, &c. Ideo 70. interpretes Nicham sæpius reddiderunt per verbum *μεταμελέωμαι*, Ex. 13. v. 17. 1. Reg. 15. v. ult. 1. Par. 21. v. 15. Psalm. 150. v. 45. & 4. Reg. 3. v. 27. Usurpatur etiam Sap. 19. v. 2. & 1. Mac. 11. v. 10. Hoc enim verbum significantius exprimit mutationem affectuum & curam seu sollicitudinem emendationis, alterum verbum שׁוּב Schub, cui etiam *μετανοέω* in Novo Testamento respondet, eleganter depingit ipsum quasi actum pœnitentiæ. Cognata enim Ebraicis verba sunt, quæ significant 1. שׁוּב, cessationem motus, quando non amplius progredimur, sed moniti motum sistimus & reprimimus. 2. שׁוּב, a versionem à loco, quò prius cursus dirigebatur. 3. שׁוּב conversionem seu reditum ad locum. Hæc pulcherrimè illustrant doctrinam pœnitentiæ. Per concionem enim Legis Deus hoc operatur & efficit, ut non securi perleveremus, nec pergamus in peccatis, sed quasi reprimamus cursum. Deinde sequitur dolor, aversio, detestatio & terrores ex sensu iræ Dei & timore damnationis. Tertio pertinet etiam ad pœnitentiam desiderium, cura & sollicitudo, ut meritas damnationis pœnas effugiamus, ad Deum nos convertamus, ut remedium morbo inveniamus. Hæc omnia Ebraicum verbum pulcherrimè complectitur, quæ in verbo *μετανοέω* non ita facile animadverti possunt. Ideo Græci reddiderunt verbum שׁוּב plerumque; per verbum *ἠπιστρέφειν*, 3. Reg. 8. v. 33. 35. 47. & 48. & 4. Reg. 14. v. 22. Sæpè etiam per *δοξαρέφειν* redditur, ut Ezech. 33. v. 11. 1. Reg. 9. v. 6. Esa. 59. v. pen. Nahum. 2. v. 2. Hæc observatio vocabulorum multum affert lucis & utilitatis. Inde enim intelligitur, qua ratione & in quam sententiam vocabula pœnitentiæ & conversionis in Ecclesia recepta sint. Reliqua vocabula, ut quòd Evangelium propriè sit læta annunciatio de persona, meritis, & officio Christi Mediatoris, quodque Pater propter Christum ex gratia velit credentibus peccatum remittere, eosque acceptare ad vitam æternam, & quòd Spiritus S. illa beneficia per Evangelium offerat & exhibeat. Deinde quòd fides præter agnitionem & assensionem promissionis Evangelii complectatur etiam motum voluntatis & cordis, quo in vera pœnitentia credens desiderat, expetit, quærit, amplectitur & accipit, & sibi applicat gratiam Dei in Christo per Evangelium nobis oblatam, inque ea vera fiducia acquiescit. Hæc alibi in loco de justificatione à nobis explicata sunt. Quando igitur Christus inquit: (*Regnum DEI propè adest, ideo agite pœnitentiam:*) Ostendit, eos non esse aptos ad regnum Dei, qui sunt sine pœnitentia, hoc est, qui seriam peccatorum agnitionem non sunt humiliati, quique iram Dei non expavescunt: ut sunt Pharisei, qui fingunt, se vel esse

esse absq; peccato, vel suis operibus se gratiam Dei & vitam aeternam posse consequi. Item Epicurei, qui de peccati abominatione serio non cogitant, de ira Dei non sunt solliciti, sed securi in peccatis manent & pergunt. Præponit igitur Christus pœnitentiam, hoc est: Primò vult omnes homines scire & agnoscere, quòd in peccatis coram iudicio Dei sint perditæ, quòdque sint extra regnum gratiæ Dei, sub potestate diaboli & mortis aeternæ, propter peccatum: & quòd nec operibus nec ulla alia ratione, quàm quæ in Evangelio proponitur, inde possint liberari. Deinde per doctrinam pœnitentiæ in cordibus vult excitare aversionem & detestationem peccati, contritionem seriam, dolorem & metum iræ Dei, sollicitudinem & desiderium evadendi. Animis autem ita præparatis, non vult nos desperare; sed additur altera clausula: (*Et credite Evangelio,*) quòd regnum Dei, hoc est, gratiam Dei annunciat & in Christo offert, ac simul monstrat, quòd sit medium seu organum, quo quæramus, accipiamus, & nobis applicemus regnum Dei, hoc est, gratiam Dei, remissionem peccatorum, & vitam aeternam. Non autem imponit nobis, ut nos aliquid conferamus aut præstemus ad promerendam gratiam Dei, & vitam aeternam, sed monstrat nobis Messiam, qui sua obedientia & merito beneficia illa acquisivit, & Deum Patrem, qui propter Filium Mediatorem, gratis illa per Spiritum sanctum vult distribuere, & donare. Nos verò credentes Evangelio, ea, quæ Messias acquisivit, quæ Spiritus sanctus offert, & quæ Pater gratis donat, fide accipimus & nobis applicamus. Hæc manifesta sunt. Dicit enim: (*Credite Evangelio.*) Et ne de historica tantum agnitione & assensione intelligatur: addit Marcus præpositionem, (*Credite c̄ τῷ εὐαγγελίῳ.*) Sicut in præcedentibus de præpositionibus, cum quibus verbum credere construitur, diximus. Lex verò, quæ nostra opera requirit, non est ex fide, Gal. 3. v. 12. Nam qui fecerit, vivet: sed Evangelium concionatur de Filio Dei, de regno Dei, hoc est, quòd propter Christum Pater gratis offerat & donet regnum suum, quòdque illud fide accipiat. Christus igitur contra Epicureas persuasiones pœnitentiam fidei præmittit, & contra Pharisæicas opiniones monstrat, quòd sit verum &

unicum fidei iustificantis objectum, Evangelium scilicet regni Dei, non lex factorum: sicut Paulus eruditè hoc evolvit, Roman. 10. v. 6. Gal. 3. v. 12. Et dignum est consideratione, quòd eadem forma docendi de pœnitentia & fide usus est etiam Baptista. Eandem formam Christus præscripsit Apostolis, Matth. 10. v. 7. Marc. 6. v. 12. Luc. 9. v. 2. & septuaginta discipulis, Luc. 10. v. 9. & post resurrectionem, Luc. 24. v. 47. Eadem formam docendi usi sunt Apostoli post acceptum Spiritum sanctum, Act. 2. v. 38. & 3. v. 19. Paulus etiam Act. 20. v. 21. summam doctrinæ suæ, quam acceperat per revelationem Filii Dei post ascensionem, colligit in hæc capita, & quidem hisce verbis: Testificans pœnitentiam in Deum, & fidem in Jesum.

Quartum caput doctrinæ Christi Matthæus dicit hoc fuisse: (*Appropinquant enim regnum cælorum.*) Hæc phrasis, quòd regnum Messia vocatur regnum cælorum, quæ sæpè usurpatur a Filio Dei, sumpta est ex Daniele, qui cap. 2. v. 44. inquit: In diebus regum illorum, suscitabit Deus cæli regnum. Quòd Matthæus dicit: (*Appropinquant regnum cælorum.*) idem est cum eo, quòd Marcus dicit: (*Appropinquant regnum Dei.*) Potest verò in hoc contextu ita hoc accipi, ut inter capita doctrinæ Christi sit & hoc unum: quid consequantur illi, qui regnum Dei fide accipiunt: seu qui sint effectus Evangelii fide accepti: quòd scilicet ingrediamur regnum cælorum, in quo datur gratia Dei, remissio peccatorum, adoptio, salus, & vita aeterna. Utque in hunc finem, in hoc regno, per Spiritum incipiamus cælestem vitam agere, hoc est, ut non amplius peccato, diabolo & mundo, sed Deo serviamus in iustitia & sanctitate coram ipso. Sicut hæc alibi plenius explicantur.

Hæc observatio de summariis concionum Christi capitibus propterea utilis est. Sæpè enim in narrationibus Evangelistarum occurrit, Christum prædicasse verbum Dei, aut sermonem regni, &c. ubi de sententia concionum nihil annotatum extat. Illa igitur ex summaria comprehensione peti potest & debet. Et per se piis animis precundum & gratum esse debet, summam concionum Christi in pauca & certa aliquod capita comprehensam habere.

CAPUT XXXVI.
CONTINENS HISTORIAM DE VOCATIONE PETRI,
ANDREÆ, JACOBI ET JOHANNIS. MATTH. 4. MARC. 1.
LUC. 5.

RATIO ORDINIS.

HOC loco de ordine historiarum magna est controversia. Videntur enim Evangelistæ non eodem modo has historias descripsisse. Ut Lucas soli Petro dictum esse scribit: (*Post hæc homines sapies:*) quòd Matthæus & Marcus Petro & Andreæ simul dictum esse confirmant. Lucas etiam dicit Jacobum & Johannem simul cum Petro naves ad terram subduxisse, quorum tamen navem non in eodem, sed in alio loco stationem habuisse, Matthæus

& Marcus scribunt. Augustinus igitur sentit, peculiarem historiam esse, quam Lucas c. 5. v. 1. describit, & accidisse longè ante illam, quam Matthæus & Marcus describunt, ac Simonem cum sociis suis subductis ad terram navibus, eo animo reliquisse tunc paulisper omnia, ut postquam reverentiæ gratia Christum aliquo usque deducendo ipsum secuti essent, ad operas suas piscatorias redirent. Ac postea interjecto aliquo tempore, secutam esse aliam vocationem, quam Matthæus & Marcus descri-